MASTER NEGATIVE NO. 91-80118-17

AUTHOR:

PEPER, LUDWIG

TITLE:

DE PLUTARCHI "EPAMI-
NONDA"

PLACE:

WEIDAE

DATE:

1912

Master Negative #

91-80118-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Peper, Ludwig, 1889-
De Plutarchi "Epaminonda." ... Weidae, typis Thomae et Huberti, 1912.
136 p. 23½ cm.

Thesis. Jena.

Volume of pamphlets

341704

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: ~~[illegible]~~ nx
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/3/91
INITIALS S.M
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 1

DE PLUTARCHI „EPAMINONDA".

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE
RITE IMPETRANDOS

LUDOVICUS PEPER
BALLENSTEDIENSIS

WEIDAE
TYPIS THOMAE ET HUBERTI
MCMXII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

Jena, den 4. Mai 1912.

Professor Dr. L. Plate,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Conspectus.

Praefatio.

Quicumque nostris temporibus in Epaminondae vita et aetate tractandis versatus est, magno cum dolore tulit, quod vita a Plutarcho de illo, maximo praeclarissimoque populari suo, scripta[1] nobis non servata est. Etenim ceteri auctores, qui de hoc tempore egerunt, omnino non sufficiunt, ut vitam eius, ingenium atque mores, scientiam rerum publicarum et militarium, res gestas clare perspicueque in animo informare possimus. Xenophon adeo Lacedaemoniorum Agesilaique partibus favet et paene ea sola memoriae prodit, quae ad illos spectant, ut opus eius, quod „*Ἑλληνικά*“ inscribitur, ne nomine „*Πελοποννησιακά*“ quidem dignum, sed fere „*Λακωνικά*“ appellandum sit. Quae pauca Diodorus imprimis ex Ephoro deprompta de Epaminonda nobis tradit, quamvis laude eius abundent, erratorum plena multisque locis corrigenda sunt. Cornelius Nepos autem in vita de eo condita res non temporis ordine narrat, sed ad mores indolemque eius praedicanda tantummodo hoc vel illud affert neque quidquam fere nisi narratiunculas atque facete dicta praebet. Quae vitia ceterorum fontium Plutarchi opus magna quidem ex parte compensavisse valde verisimile mihi videtur, praesertim cum ipsius Epaminondae vitam, cuius quanta admiratione imbutus fuerit, ex omnibus ceteris eius scriptis cognosci potest, singulari diligentia eum elaboravisse facile sit ad credendum.

Sed quamvis vita Epaminondae aetatem non tulerit, tamen Plutarchi opera nihilo setius in gravissimis fontibus ponenda sunt, quod permultis eorum locis sive exempli causa sive alio quodam modo ille commemoratur et dictum eius vel factum narratur. Pleraque fere, quae de genere eius, de iuventute, de natura moribusque, de eruditione etc. neque pauca, quae de rebus gestis scimus,

[1] Quam exstitisse constat ex catalogo Plutarchi scriptorum Lampriae nomine appellato, ubi septimo loco legimus: *Ἐπαμεινώνδας καὶ Σκιπίων* (Plut. Moral. ed. Bernardakis. VII p. 473), et ex Agesil. vit. 28, 4, ubi ad hoc opus revocamur.

a Plutarcho nobis tradita sunt. Quae cum ita sint, ad res Epaminondae melius intelligendas non supervacaneum esse mihi videtur, si quis ex omnibus eiusmodi locis diligenter collectis et aliis nonnullis quasi ansis, quae exstant, Plutarchi vitam, quoad eius fieri potest, restituere conatur.

Atqui iam multo ante viri docti hoc conati sunt. Illo tempore, saeculo XV et XVI, quo maiore studio auctores antiqui, et Graeci et Romani, tractari incepti erant, et quo, ut satis notum, ab omnibus quodammodo eruditis praeter ceteros Plutarchus summo studio lectitabatur[1], litterati homines non iam satis habebant eius scripta interpretari et sive in latinam sive in vernaculas linguas transferre, sed etiam, ut ea imitarentur, operam dabant[2]. Alii in moralium, quae dicuntur, operum rationem disputationes simili argumento formabant, alii ad vitas animos vertebant et, cum aegre ferrent, quod non omnes a Plutarcho conditae servatae erant, deinde quod multi viri illustres ab eo omissi erant, has lacunas explere studebant. A diversis auctoribus tum componebantur vitae Platonis, Aristotelis, Philippi Macedonum regis, Hannibalis, Scipionis Africani Maioris, Dionysii Maioris, Caesaris Augusti aliorumque imperatorum Romanorum[3]. Etiam Epaminondae vita in hoc numero erat, a Jacobo Amyot conscripta (1513—1593), illo viro, qui primus Plutarchi opera in linguam Francogallicam convertit. Neque vero, sicut Plutarchi ipsius opus, aetatem tulit, quod aut in collectionem ceterarum Plutarchi vitarum (ed. 1559) recipere aut omnino edere in vulgus auctor nolebat[4]. Nihilo minus cum postea (1585) denuo hic liber typis exscribendus curaretur, a Simone Goulard Sensliseno editore (1543—1628), praeter ceteras etiam Epaminondae vita ab ipso condita adiungebatur[5].

Sed quoniam ille, ut omnes eius generis auctores, solum legentium animis delectandis operam dabat, deinde cum non vere reficere Plutarchi opus studeret, sed eius loco suum collocare

[1] cf. Auguste Blignières, Essai sur Amyot, Paris 1851, p. 162 sq.
[2] ibid. p. 179 sq.
[3] ibid. p. 128 sq.
[4] ibid. p. 183 et 236 sq.
[5] „Les vies des hommes illustres, grecs et latins, comparées l'une avec l'autre par Plutarque de Chaeronée, translatées par M. Jacques Amyot. Iterum edid. S. G. S. 1585, p. 721 sq." De initialibus illis, quae valent: Simon Goulard Senslisiens cf. Blignières l. c. p. 184 adnot. 1.

vellet, denique cum scientia rerum litterarumque antiquarum tum vix ex primis initiis profecta esset, non mirum est, quod haec vita non eis respondet, quae nunc ab eiusmodi opere postulanda esse puto. Itaque in dissertatione hunc conatum repetere mihi proposui, tamen alia quadam via. Neque enim Plutarchi ratione Epaminondae vitam narrare in animo habeo, quod, cum non omnibus de rebus certi quidquam accipiamus, omnino non fieri posse puto, sed quaerere, quid ex locis, qui ad Plutarchi „Epaminondam" revocandi esse videntur, diligenter collectis et examinatis de huius operis argumento colligendum sit.

Sed priusquam in hanc quaestionem ipsam intrare possumus, in prima quadam parte nonnulla de ratione atque legibus praefari mihi videtur oportere, quae in hoc scripto reficiendo sequendae erunt. Inquirendum nobis est, unde materiam haurire possimus, quibus legibus illa disponenda et distribuenda sit, denique, quomodo Plutarchus in universum de Epaminonda iudicaverit, cum hac de re viri docti non plane consentiant. Tum demum, in altera parte, ad ipsum propositum transire poterimus, ad Plutarchi opus restituendum.

Prima pars.

I. De fontibus.

1. De Plutarchi ipsius operibus.

In materia colligenda, quoniam Epaminondae vitam non, ut re vera fuerit, sed, ut Plutarchus eam descripserit, exponere animo proposuimus, necessario ea imprimis nobis sunt spectanda, quae in eius ipsius scriptis de hoc viro invenimus, sive verisimilia nobis videntur, sive non. Quorum plurima ea nobis offerunt, in quibus eadem aetas tractatur atque res gestae narrantur, quibus ille interfuit. Haec sunt Pelopidae et Agesilai vitae ac dialogus ille notissimus, qui inscribitur „de genio Socratis“ et in quo copiosissime exponitur, quo modo Thebae anno a. Chr. n. 379 a tyrannis praesidioque Spartano liberatae sint.

Pelopidae vita tamen prima ponenda est, non modo propter permultas illas gravissimasque res, quas ex ea de Epaminonda cognoscimus, sed etiam, ut paradoxo utar, propter ea, quae omittuntur. Extant enim non pauci loci, ex quibus apparet Plutarchum exspectavisse eis, qui Pelopidae vitam lecturi essent, uberiorem eiusdem rei narrationem notam esse. In primis ipsius vitae capitibus (c. 3—4), quibus Pelopidae natura cum Epaminondae comparatur, de hoc semper ita mentio fit, quasi iam omnibus notus esset, quod praecipue initio c. 3 confirmatur: *Πελοπίδᾳ τῷ Ἱππόκλου γένος μὲν ἦν εὐδόκιμον ἐν Θήβαις ὥσπερ Ἐπαμεινώνδᾳ.* In c. 20—23, quibus de pugna Leuctrica agitur, sola fere, quae ad Pelopidam pertinent, narrantur, quae tamen gravissima nobis videntur, omittuntur vel leviter perstringuntur. Idem quoque de c. 24 dicendum est, ubi praeclarae illae prima in Peloponnesum suscepta expeditione res gestae tribus verbis absolvuntur. In c. 25, 7 de Meneclide, Pelopidae Epaminondaeque inimico, dicitur: *Μενεκλείδαν ζημιῶσαι χρήμασιν, ἃ μὴ δυνάμενος ἐκτῖσαι διὰ πλῆθος ὕστερον ἐπεχείρησε κινῆσαι καὶ μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν,* qua de re in „Pelopida“ nil

cognoscimus. In c. 26, 1 secunda Epaminondae expeditio Peloponnesiaca his verbis significatur: *ὁρῶν ὁ Πελοπίδας τὸν Ἐπαμεινώνδαν τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πράξεις διοικοῦντα . . .*, quae ceteroquin non commemoratur. Quibus locis, quorum numerum etiam paulo augere possumus, quoniam plerumque de Epaminonda eiusque rebus gestis agitur, non dubium mihi videtur, quin narratio illa uberior, ad quam Plutarchus legentes revocat, in Epaminondae vita exstiterit[1], quo efficitur, ut ad hoc scriptum restituendum etiam lacunae illae in Pelopidae vita, cautione quadam non neglecta, summi sint momenti.

Praeter „Pelopidam“ plurimum in nostra quaestione dialogo illi „de genio Socratis“ tribuendum est, in quo etiam Epaminondas loquens inducitur. Quamquam de rebus gestis ex eo nihil fere discimus, tamen eo plura de natura illius atque moribus. Nec tamen neglegendum est dialogos eiusmodi cum historicis scriptis aequari non posse. Nam cum Plutarchus in vitis componendis quam maxime rerum fidem servare videatur studuisse, in dialogo poetica libertate uti ei licebat neque dubium est, quin alia verbis amplificaverit et ornaverit, alia ex suo ingenio affinxerit. Accedit, quod in hoc opere praecipue id agebat, ut Atheniensibus, qui Boeotos propter inertiam intelligendi et loquendi ludibrio habere solebant, demonstraret, quantopere illis temporibus etiam Thebis studium litterarum et philosophiae, imprimis Socraticae, floruisset[2], et ut populares suos a crimine illo „*μισολογίας*“ quae dicitur defenderet, qua de causa fieri non potuit, quin rem paulo in maius extolleret. Magno cum acumine imprimis W. Christ in dissertatione de hoc dialogo condita[3] de eius fide agitavit. Sed quod quidem ad historicam partem attinet, nimis violenter iudicare mihi videtur neque ei contigit, ut comprobaret Plutarchum pleraque eorum, quae de exsulum Thebanorum reditu neceque tyrannorum in eo tot verbis narrat, ipsum finxisse et postea in Pelopidae quoque vitam transtulisse, qua de re etiam infra paucis agam (cf. p. 30 adn. 1). Equidem Plutarchum fictas res eiusmodi historico operi inseruisse non puto, sed multo verisimilius mihi videtur eum ex historicis fontibus satis longis fusisque haurire potuisse.

---

[1] cf. hac de re etiam Joh. Muhl, Plutarchische Studien, Pr., Augsburg 1885, p. 12.

[2] cf. R. Hirzel, Der Dialog, vol. II p. 163.

[3] Sitzungsberichte d. Münchener Akademie, 1901, Phil.-Hist. Klasse, p. 59 sq.

Magis tamen in hac quaestione nostra interest, quomodo de rebus ad Epaminondam pertinentibus iudicandum sit. Qua in re non dubito, quin humanitas eius atque eruditio, praeclarae illae virtutes moresque, quae in dialogo ei attribuuntur, non minus in vita praedicata sint, neque quin eaedem causae, quibus in dialogo Epaminondas commotus esse dicitur, ne tyrannicidio interesset, in vita etiam allatae sint. Orationes tamen, quas Plutarchus ei attribuit aut alios de eo habentes facit, quasi ornamenta narrationis ab eo ipso compositas et solum ad argumentum dialogi fictas esse apparet, qua de causa nescio an quis putet eum Theanoris illius Pythagorei personam etiam omnino confinxisse, ut integritatem Epaminondae et continentiam quam clarissime ostenderet.

Quamquam in Agesilai quoque vita saepius Epaminondas commemoratur, tamen de hoc opere alio quodam modo iudicandum est, quoniam Plutarchus in Lacedaemonii vita scribenda Epaminondae facta e contraria parte spectare cogebatur et ea sola narrare poterat, quae ad Spartanorum regem pertinebant. Accedit, quod necessario imprimis ii scriptores adhibendi erant, qui Lacedaemoniis studebant[1]. Nihilo minus ne hoc quidem opus in nostro proposito parvo usui est, in quo componendo, si accuratius percensemus, Plutarchum non neglexisse cognoscamus, quae antea in Epaminondae vita de hac aetate scripserit[2]. Quamquam ex eo hoc iam elucet, quod c. 28, 4 ad hanc vitam revocamur[3], tamen

[1] Auctores illi erant Xenophon et Theopompus, quorum testimonium saepius affertur. Non probare possum eorum coniecturam, qui Plutarchum non ipsius Xenophontis operibus sed Ephori historia usum esse contendunt et magnas illas similitudines, quae exstant inter Xenophontem et Plutarchi vitas, eo ortas esse putant, quod Ephorus illius scripta adhibuerit. (Ad. Sachse, Die Quellen Plutarchs in der Lebensbeschreibung des Agesilaus, Pr., Schwerin 1888.) Etiamsi haud dubie Ephorus non pauca ex Xenophontis Hellenicis in historiam suam transtulit, tamen, cum auctores non verbotenus fere exscribere sed libere eorum dicta commutare soleret, fieri non potuit, ut adeo Plutarchi et Xenophontis verba congruerent. De singulis argumentis, quomodo sint reicienda, cf. R. Dippel, „Quae ratio intercedat inter Xenoph. hist. Graec. et Plut. vitas quaeritur", Gissae 1898. De Ages. vit. cf. p. 77sq.

[2] De ordine vitarum Plutarchearum conferatis Joh. Muhl, Plutarchische Studien, p. 4—21, et Joh. Mewaldt, Selbstzitate in den Biographien Plutarchs, Hermes 42, 1907, p. 564sq., qui id quidem certe demonstravisse mihi videntur Agesilai vitam post Epaminondae compositam esse.

[3] Quamquam verba illa, quibus permultis vitarum locis ad alias vitas revocamur, maxima ex parte non ab ipso Plutarcho posita esse C. Th. Michaelis

alia quoque exempla afferre possumus. In eiusdem capitis § 5 accuratissime explicatur, quo tempore Leuctrica pugna commissa sit, et eundem diem etiam in Camilli vit. 19. 2 traditum invenimus. Quo loco, quoniam ea de causa hoc fit, ut demonstretur Boeotos iam ducentis annis ante illud certamen eodem anni die aliam praeclaram victoriam reportavisse, apud Ceressum de Lattamya Thessalorum duce, et cum Plutarchum in Epaminonda quoque duas has victorias composuisse ex Paus. IX, 14, 2 sciamus[1], non dubium mihi videtur, quin hic quoque accuratam illam temporis descriptionem adiecerit et hinc in Agesilai vitam transtulerit. — Deinde conferatis c. 27, 3 — 28, 2, ubi de Epaminonda legato Spartam misso agitur, et quo loco tantum studium rerum Thebanorum elucet, tantopere Epaminondae virtus eloquentiaque laudantur, ut factum esse non possit, quin sive ex eodem scriptore, quem in „Pelopida" atque etiam in „Epaminonda" secutus est, sive quod multo verisimilius mihi videtur, ex ipsa Epaminondae vita haec dicta transferret, praesertim cum Plutarchus etiam in c. 28, 4—5 illud opus inspexerit, ut modo ostendi. — Idem fortasse de c. 32, 2 quoque iudicandum est, ubi de Agesilao Epaminondam vidente haec dicuntur: *Πορευόμενον δὲ πρῶτον τῆς φάλαγγος τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἐδείκνυσάν τινες τῷ Ἀγησιλάῳ· κἀκεῖνος, ὥς λέγεται, πολὺν χρόνον ἐμβλέψας αὐτῷ καὶ συμπαραπέμψας τὴν ὄψιν οὐδὲν ἢ τοσοῦτον μόνον εἶπεν· „ὢ τοῦ μεγαλοπράγμονος ἀνθρώπου"*.

Quibus expositis licet putare Plutarchum aliis quoque quibusdam locis, imprimis in incursionibus Spartam ipsam factis describendis (c. 31—32 et c. 34), suum ipsius opus adhibuisse.

Minoris momenti sunt ea scripta, et ceterae vitae et, quae dicuntur „Moralia", in quibus Epaminondas exempli causa tantummodo commemoratur, etiamsi ex iis quoque non paucas graviores res sive de eius vita sive de Plutarchi iudicio haurire possumus. Attamen cum non omnia ex scriptis illis moralibus Plutarchea agnoscantur, semper quaerendum nobis est, num quid de Epaminonda traditum ex eiusmodi opere sumptum sit, quod subiectum

in dissertatione „de ordine vitarum parallelarum Plutarchi", Berolini 1875, p. 2sq., demonstrare studuit, tamen hoc loco tolli non possunt, quod, nisi exstitissent, explicandum erat, quae fuissent illa ostenta. Nuper Mewaldt l. c. quidquam eiusmodi verborum ab aliis insertum esse negat.

[1] Infra (p. 15sq.) explicabitur Pausaniam ex Plutarchi vita Epaminondae deprompsisse, quae IX, 13—15 de illo dicit.

esse apparet vel videtur. Nam quamquam etiam in iis quaedam ad Plutarchum eiusque Epaminondam redire possunt, tamen maiore diligentia uti oportet.

2. De eis scriptis, in quae auctores aliquid ex Plutarchi opere transtulerunt.

Praeter ea, quae in Plutarchi ipsius scriptis de Epaminonda narrantur vel iudicantur, ne ea quidem neglegenda sunt, quae ex vita illa ab aliis auctoribus in sua opera translata sunt. Quo in numero prima collectio illa apophthegmatum commemoranda est, quam, etiamsi in corpore scriptorum Plutarcheorum nobis tradita est, tamen ab eo ipso compositam non esse hodie inter omnes viros doctos constat. Quod in dissertatione „de apophthegmatum, quae sub Plutarchi nomine feruntur, collectionibus" (Gryphiswaldiae 1879) C. Schmidt satis dilucide explicavit; sed idem etiam ostendere studuit, nihilo minus rationem quandam inter collectiones illas atque Plutarchi opera intercedere, cum auctor apophthegmata eorum virorum, quorum vitas Plutarchus scripserit, ex his vitis excerpserit. Quamquam propter discrepantias quasdam inter Plutarchum et collectionum auctorem[1] et, quod non semper omnia, quae in apophthegmatis, etiam in eiusdem viri vita inveniuntur[2], interdum de alio fonte cogitandum est, tamen in universum recte iudicavisse mihi videtur. Eandem igitur rationem etiam inter Epaminondae vitam et apophthegmatum eius collectionem intercessisse licet putare, quod non modo per se vêrisimile est, sed etiam separata disquisitione nonnullis argumentis allatis Schmidt confirmavit[3]. Qua de causa ad Epaminondae vitam restituendam haec collectio in limpidioribus fontibus ponenda est.

Nimirum num omnia illa apophthegmata in vita vere exstiterint aut num hoc vel illud paulo aliter explicatum sit, plerumque cognoscere non iam possumus, praeter apophth. 23. Fere verbotenus enim eadem res etiam apud Aelianum v. h. XIII, 42 describitur, tamen ita, ut non alter ex altero hausisse possit, sed

[1] cf. Pelop. apophth. 4 et Pelop. vit. 28, 3; apophth. 5 et vit. 28, 4; Alcibiad. apophth. 3 et Alcib. vit. 7, 1; apophth. 5, 6, 7 et vit. 22, 2—3; Themistocl. apophth. 4 et vit. 11, 2 aliaque exempla.

[2] Pelopid. apophth. 6, Alcib. apophth. 5, Pericl. apophth. 1 etc.

[3] l. c. p. 31 sq. Magnam partem apophthegmatum non modo in collectione sed etiam in Plutarchi scriptis invenimus.

utrumque eodem fonte esse usum statuendum sit. Nunc vero Aelianum, ut Aug. Brunk in dissertatione de Aeliani varia historia[1] clare ostendit, ex Plutarcho quidquam deprompsisse non verisimile est. Plutarchus autem et Aelianus ideo ex eodem pendere non possunt, quod, cum Plutarchus auctorum suorum scripta libere permutare soleret, apophthegmatis verba cum Aeliani non adeo consentirent. Itaque collectionis compilator ex Aeliani fonte ad Plutarchi tradita apophth. illud 23 adiunxisse mihi videtur.

Quod denique ad seriem apophthegmatum attinet, Plutarchi ordinem servatum esse ab omni probabilitate abhorret. Nam cum ille in scriptis historicis in universum temporum ordinem tenere soleat, in collectione omnia videntur turbata esse. Cum in apophth. 8 et 10 de pugna Leuctrica agatur, pertinet apophth. 9 ad initium secundae ab Epaminonda in Peloponnesum susceptae expeditionis, id quod ex Polyaeni II, 3, 4 apparet. Ad eandem spectat etiam, quod in apophth. 19 de proelio quodam Corinthiaco narratur, cum in ap. 17 de foedere inter Alexandrum Pheraeorum tyrannum et Athenienses postea demum facto dicatur. Atqui collectio ordine non plane carere videtur. Facile enim cognosci potest auctorem saepius apophthegmata simili argumento composuisse. In apophth. 1—3 de rebus militaribus agitur, in apophth. 4—6 de Epaminondae abstinentia atque moderatione, in apophth. 8 et 9 de ostentorum interpretatione, in apophth. 13 et 14 de integritate et largitionibns repulsis, in apophth. 15—17 de Atheniensibus et Lacedaemoniis ludibrio habitis. Qua propter nescio an quis credat compilatorem illum in collectione componenda ita versatum esse, ut in universum quidem eodem ordine memorabilia dicta vel facta excerpserit, qua ipsa vita ei oblata essent, tamen interdum, si in quibusdam exscribendis postea simile aliquid commemorari recordatus esset, hoc anticipaverit. Quam rationem etsi in apophth. 8 et 9, 13 et 14 observatam esse apparet, tamen ubique pro certo statuere non possumus, qua de causa seriei apophthegmatum in nostra quaestione paulum tribuendum esse mihi videtur.

Praeterea etiam Pausanias in descriptione Graeciae Plutarchi opere usus est, ex quo permulta, quae de Epaminonda eiusque

[1] Zu Aelians „varia historia". Commentat. philol. in hon. sodalitii philol. Gryphisw. 1887.

aetate affert, deprompsisse demonstrari potest. Primus Wilamovitz hoc monuit (Herm. vol. VIII, 1874, p. 439 adn. 2) et paulo post in „commentarioli grammatici" (Gryphiswald. 1879) vol. I p. 11 probare conatus est: Pausaniam ea, quae IX, 13—15 de vita Epaminondae et factis atque in lib. VIII, 11, 5—9 de eius morte narrat, ex Plutarchea vita hausisse. Quae coniectura ab omnibus fere viris doctis videtur accepta esse et, postquam E. v. Stern[1] et O. Grillnberger[2] ad illius argumentationem nonnulla adiunxerunt, vix quisquam dubitare potest. Nihilo minus cum ad ipsum nostrum propositum haec res permagni sit momenti, deinde cum ea, quae Wilamovitz et Stern exposuerunt, ad eam certe confirmandam non plane sufficere mihi videantur, Grillnbergerii dissertatio autem non omnibus in manibus esse putem, hanc quaestionem hic retractare mihi liceat, qua re expedita inquirere opus est, qua ratione Pausanias Plutarcho usus sit et quoad fidem ei habere nobis liceat.

Ac primum quidem locus ille in Pausaniae libro nono (c. 13—15) tractandus est, quo uberius quam ullo alio de Epaminonda agit. Wilamovitz argumentationem his verbis incipit: „⟨vitam Epaminondae⟩ non ex pluribus historicis consutam esse, sed ab uno Epaminondae biographo transcriptam omnino probabile est in Pausania, qui Herodotum quidem et Thucydidem penitus imbiberat, sed ex ceteris historicis fortasse nullum legit; . . ." Quamquam in medio relinquo, num iudicium illud de Pausaniae eruditione[3] nobis accipiendum sit et iure quodam ille ob inscitiam litterarum adeo vituperetur, tamen mihi quoque verisimile videtur Pausaniam non historico scriptore, sed biographo quodam usum esse. Nam quoniam eius nihil aliud interesset, nisi de eo viro, cuius ad statuam in describendo loco pervenerat, legentes quam brevissime docere, vix credendum est eum magno cum sudore conquisivisse, quae de vita illius rebusque gestis tradita essent, sed ex ipsa rei natura sequitur eum librum eius generis adhibuisse, in quo omnia cognitione digna de illo iam collata erant. Quibus condicionibus quam optime Plutarchi vitae responderint, apparet. Accedit, quod etiam similitudinem quandam inter summarii illius Pausaniae et Plutarchi vitarum formam cognoscere possumus. Duarum enim rationum illarum, quibus antiquitatis auctores illustrium virorum vitas tractare solebant et quarum naturas Fr. Leo in libro de hoc scriptorum genere condito[1] dilucide exposuit, Plutarchus haud dubie ubique illam ab Aristotele Peripateticisque institutam secutus est, qua res gestae temporum ordine narrantur, eo consilio, ut natura viri tractandi moresque, quo modo se habuerint, quam clarissime demonstrentur[2]. Eandem autem Pausaniae quoque auctorem inisse manifestum est. Non modo, sicut Plutarchus, temporum ordine vitam narravit, sed etiam, si accuratius Pausaniae verba spectamus, eum moribus describendis magis quam rebus gestis explicandis operam dedisse intellegimus. Non tam quasi prospectum ad totam vitam, ad omnia eius facta, ad auctoritatem Pausanias nobis praebet quam seriem narratiuncularum quarundam, quarum magna pars sine dubio nulli rei nisi virtutibus Epaminondae sive humanis sive civilibus sive militaribus illustrandis usui est[3]. Quod numquam significatur, quid ex factis de moribus colligendum sit, in eiusmodi compendio non mirum est, quoniam, ut quam brevissime res complecteretur, Pausaniae omnia eiusmodi omittenda et ipsa facta sola tenenda erant. Commemorari etiam potest Pausaniam numquam clare significare, quo tempore aliquid factum sit aut quantum temporis spatium inter singulas res intercesserit, quod eodem modo in Plutarchi scriptis se habere nemo nescit. Cum insuper sciamus Pausaniam ea, quae lib. VIII c. 49—51 de Philopoemene nobiscum communicat, ex Plutarchi „Philopoemene" sumpsisse, quod H. Nissen in libro de T. Livii historia scripto[4] magno acumine et subtilitate demonstravit, eandem coniecturam in Epaminonda summam probabilitatis speciem per se habere concedendum est.

Sed etiam singulis in rebus Plutarchus et Pausanias saepius inter se conveniunt, quarum nonnullas viri docti, quos supra commemoravi, iam animadverterunt. Vix dubitari potest, quin Plutarchus, quae in Pelopidae vitae c. 4, 4—5 de illo magna cum

[1] Geschichte der spartanischen und thebanischen Hegemonie vom Königsfrieden bis zur Schlacht bei Mantinea, Dorpat 1884, p. 146.

[2] Griechische Studien (Separatausg. d. Pr. v. Wilhering 1905/06—1907/08), cap. III p. 117.

[3] cf. W. Gurlitt, Über Pausanias, Graz 1890, p. 37 sq.

[1] Die griechisch-römische Biographie nach ihrer literarischen Form, Leipzig 1901, cap. 16 p. 315 sq.

[2] ibid. cap. 9 p. 178 sq.

[3] cf. c. 13, 1, 2, 11—12; 14, 1, 5; 15, 1—2, 3, 4.

[4] H. Nissen, Kritische Untersuchungen über die Quellen der vierten und fünften Dekade des Livius, Berlin 1863, p. 287 sq.

mortis contemptione ab Epaminonda servato narrantur, etiam in „Epaminonda“ commemoranda fuerint, qua re non tam Pelopidae quam Epaminondae virtus summis laudibus efferatur. Et idem quoque apud Pausaniam in c. 13, 1 invenimus. — Quam verisimile esset Plutarchum, quae in Agesil. vit. c. 27, 3 — 28, 2 de Epaminondae illiusque concertatione verborum in Graecorum concilio habita tradit, ex Epaminondae vita in illam transtulisse, supra exposui (p. 13). Pausanias hac de re eadem fere ratione agit, quamquam errore quodam captus verba „⟨*εἰρήνην*⟩ *τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου καλουμένην*“ adiecit. — In Agesil. vit. c. 28, 4 ad Epaminondae his verbis revocamur: *Πολλῶν δὲ σημείων μοχθηρῶν γενομένων, ὡς ἐν τῷ περὶ Ἐπαμεινώνδου γέγραπται.* Eiusmodi ostenta autem magnam calamitatem Lacedaemoniis praedicentia a Pausania eodem loco, quem Plutarchus significat, id est ante pugnam Leuctricam, afferuntur (c. 13, 4)[1]. — Deinde conferatis Paus. IX, 13, 11: *Θηβαίοις μὲν ἡ νίκη κατείργαστο ἐπιφανέστατα πασῶν ὁπόσας κατὰ Ἑλλήνων ἀνείλοντο Ἕλληνες,* quam Plutarchi sententiam esse Ages. vit. c. 29, 1 confirmatur: *Συμβάντος δὲ τοῖς τε Λακεδαιμονίοις πταίσματος ἀπροσδοκήτου καὶ τοῖς Θηβαίοις παρὰ δόξαν εὐτυχήματος οἷον οὐ γέγονεν ἄλλοις Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας ἀγωνισαμένοις.* — Mirum denique in modum Epaminondae apophth. 12, quod ex illius vita sumptum esse licet putare, cum Pausaniae c. 13, 11—12 consentit, quibus locis explicatur, quanta astutia Epaminondas Lacedaemonios impediverit, ne interfectorum suorum numerum celarent[2].

Quibus rebus allatis quamquam solum c. 13 ex Plutarchi opere sumptum esse confirmatur neque in sequentibus capitibus (14 et 15) totidem similitudines cum illius scriptis inveniuntur, tamen ex eis, quae supra de Pausaniae describendi ratione exposui, vix dubium est, quin omnia ex eodem fonte hauserit, praesertim cum in capitibus illis nihil insit, quod cum Plutarcho discrepat. Accedit, quod de c. 15 quidem alio gravissimo argumento sententiam comprobare possumus. In Pelopid. et Marcell. comparat. c. 1, 2 haec scripta sunt: *Λέγονται δὲ Θηβαῖοι μηδ' Ὀρχομενίους ἂν οὕτω μεταχειρίσασθαι παρόντων ἐκείνων* (sc. *Ἐπαμεινώνδου καὶ Πελοπίδου*), quibus ex verbis, cum hac de re in

---

[1] cf. E. v. Stern, Gesch. d. spart. u. theb. Heg., p. 146.
[2] cf. Wilamowitz, Comment. gramm. I, 1879, p. 12.

„Pelopida“ nihil cognoscamus, colligendum nobis est Plutarchum in „Epaminonda“ narravisse, quae Orchomeno urbi accidissent. Nam quamquam nescio an hae comparationes a Plutarcho abiudicandae sint[1], tamen eas solarum earum rerum rationem habere, quarum in vitis Plutarchi mentio fit, ex ipsa rei natura sequitur. Pausaniam spectantes legimus haec (15, 3): *Ἐν ὅσῳ δὲ ἀπῆν ὁ Ἐπαμεινώνδας, Ὀρχομενίους Θηβαῖοι ποιοῦσιν ἀναστάτους ἐκ τῆς χώρας· συμφορὰν δὲ τὴν ἀνάστασιν τὴν Ὀρχομενίων ἐνόμιζεν ὁ Ἐπαμεινώνδας, καὶ οὔ ποτ' ἂν ἐξεργασθῆναι τόλμημα τοιοῦτον αὐτοῦ γε παρόντος ἔφασκεν ὑπὸ Θηβαίων*[2].

Itaque equidem pro explorato habeo Plutarchum in omnibus illis capitibus Pausaniae fontem fuisse.

Restat, ut quaeramus, quatenus in illius opere restituendo huius verbis fidem liceat habere, num omnia, quae proponit, a Plutarcho sumpserit et quoad eandem seriem rerum tenuerit, quam ille secutus est. Qua in re maxime nobis est spectandum, quam rationem in Philopoemenis vita excerpenda observaverit. Si Pausaniae illum locum (VIII, 49—51) cum Plutarchi opere comparamus, cognoscimus eum in universum paucis verbis eadem dicere, quae auctor eius pluribus. In unam paragraphum contracta esse solent, quae Plutarchus uno vel duobus capitibus narrat. In singulis tantummodo parvulisque rebus a fonte suo discessit atque hic vel illic suo marte, plerumque ex memoria, rarius ex aliis auctoribus, aliquid adiunxit et Plutarchi dicta quodammodo supplere conatus est. Nonnullis quoque locis auctorem suum corrigere eum studuisse apparet; ordinem tamen Plutarchi ubique fere observavit. Cum iam H. Nissen in libro suo de Livii opere composito, quem supra commemoravi (p. 17 adn. 4), omnes has discrepantias diligentissime collegerit et explanaverit, iterum singulas eas persequi supersedeo. Similem rationem Pausaniam in Epaminondae quoque vita excerpenda secutum esse probabile est, praesertim cum, quod ad ordinem rerum narratarum attinet, plerumque cum ceteris auctoribus con-

---

[1] In operis, quod inscribitur: „Encyclopaedia Britannica“, vol. XIX p. 232 sub voce „Plutarch“ haec sententia profertur, quod comparationes illae ad Plutarchi consilium et dicendi genus parum accommodatae essent. Eius auctores nominatim non appellantur. Ad eam quodammodo probandam infra argumentum addam; cf. p. 56. — Nuperrime haec sententia confirmatur a R. Hirzel, Plutarch, Lpz. 1912, p. 71 sq.
[2] cf. Grillnberger, Griechische Studien, cap. III p. 122.

sentiat. Itaque, quamquam non neglegendum est eum hic quoque, sicut in Philopoemenis vita, interdum a fonte suo discessisse posse atque semper quaerendum est, numquid sua sponte adiecerit vel commutaverit[1], tamen in universum eius verbis in Plutarchi opere restituendo quasi fundamento uti possumus. At vero solis de c. 13 et 14 ita iudicandum est, quibus vita usque ad accusationem contra Epaminondam post primam expeditionem Peloponnesiacam instructam tractatur. In c. 15, in quo reliqua pars coartata est, res non eodem modo ordine narrantur, sed ex omnibus, quae postea ab Epaminonda gesta sunt, solum hoc vel illud, quod venerat scriptori in mentem, depromptum esse videtur et ne temporum quidem ratio servata est. Plutarchum ipsum in vita Epaminondae ita scripsisse non modo per se probabilitate caret, sed etiam eo confirmatur, quod in ceteris scriptis permulta eorum, quae Pausanias omisit, se cognovisse et contextum rerum gestarum recte intellexisse ostendit. Liceat mihi exemplum eiusmodi afferre: Pausanias Epaminondae expeditionem in Thessaliam ad Pelopidam liberandum susceptam perperam ante secundam incursionem in Peloponnesum factam collocavit (cf. c. 15, 1—2 et 4). Quam cum Plutarchus in Pelop. vit. 26, 1 eodem tempore inceptam esse dicat atque Pelopidae primam Thessalicam et ne hunc quidem postea demum, cum iterum contra Alexandrum Pheraeum profectus esset, a tyranno illo captum esse nescierit (cf. c. 27), eum recte intellexisse, quo ordine res se subsecutae essent, apparet. Cum aliis quoque locis idem statuere possimus, non dubium mihi videtur, quin soli Pausaniae vitia illa tribuenda sint, atque summa negligentia eum usum esse arbitrari cogimur. Quae cum ita sint, in extremis vitae partibus restituendis, quoniam certum fundamentum deest, multo plures et maiores difficultates nobis occurrent, quae quoad omnino tolli possint, postea exponetur.

Quibus de his in Pausaniae Boeoticis capitibus explicatis animum ad locum in Arcadicis vertamus, quem item totum a

[1] Ut exemplum afferam, non dubium mihi videtur, quin verba illa „*τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου καλουμένην*“, quibus pacem ante pugnam Leuctricam inter ceteras Graeciae civitates Spartae factam falso significat, ipse Pausanias sua sponte ex memoria ascripserit, ut Plutarchi dicta suppleret. Plutarchum per hunc errorem lapsum esse ideo non puto, quod in Agesilai vita utramque pacem recte describit. Tamen facile accidere potuit, ut Pausanias, quem de rebus illis temporibus gestis minus Plutarcho eruditum fuisse ex se intellegitur, illas eisdem fere condicionibus factas paces confunderet.

Plutarcho depromptum esse Wilamovitz putat. „⟨Pausanias⟩“ inquit (l. c. p. 11), „res Epaminondae satis accurate narravit in Boeoticis c. 13—15 et in Arcadicis c. 11, 5—9 (de paragrapho 10 dubitari potest). Quae ex uno loco coniunctim deprompserit, discerpta diversis locis proponere callido eruditionis simulatori in deliciis est. Ubi vero haec coniunxeris, vitam habes Epaminondae absolutam“. Quod non plane recte dictum esse ipse quoque sentiebat, cum scriberet: „quamquam ineptias numquam non admiscet et Hadriani cultum hic quoque prae se fert“. Nam meo quidem iudicio prorsus alio modo de his paragraphis iudicandum est. Omnino neglexit Wilamovitz Pausaniam hoc loco non mortem Epaminondae narrare, sed campum Mantinensem describentem (cf. c. 11, 1—5), ubi ille interfectus sit, aliquid de eius obitu admiscere. Animis fingendum nobis est Pausaniam ante sepulcrum Epaminondae stare. Qua de causa in § 7 narrat, quo modo eius mors facta sit, neque dubito, quin haec ex vita Plutarchea hauserit. Deinde in § 8 sepulcrum illud describitur, quod ipsum suis oculis vidisse ex eo apparet, quod columnam ab Hadriano imperatore statutam commemorat, de qua Plutarchus neque quidquam novisse neque in Epaminondae vita mentionem facere potuit. Deinde in § 9 nonnulla de gloria viri eius illustris ex Plutarcho adduntur. Num inde oraculum quoque illud Epaminondae datum, de quo in § 10 agitur, depromptum sit, certe disceptari non potest. Attamen verisimile quidem mihi videtur, quoniam Plutarchi iudicium de Epaminondae navali expeditione (cf. Plut. Philopoem. 14, 1—2) cum hoc vaticinio quodammodo consentit. Cetera tamen ambigua oracula (VIII, 11, 10—12) suo marte adiecisse mihi videtur, ut eruditionem suam et scientiam litterarum ostenderet.

Restat, ut etiam de primarum huius loci paragraphorum auctoritate inquiramus, quibus de Epaminondae interfectore agitur, qui Gryllus Atheniensis, Xenophontis filius, perhibetur. Quamquam Wilamovitz etiam hanc partem Plutarcho tribuere videtur, mea quidem sententia hoc accipi non potest. Nimirum si Pausanias hic quoque tantummodo aliud nomen ac Plutarchus in Agesilai vit. 35, 1—2 protulisset, putari potuit illum in Epaminonda inter duas opiniones fluctuavisse neque certe decrevisse, cui assentiretur. Hoc loco autem Pausanias non modo a Plutarcho dissentit, sed etiam eum impugnat et perverse eum iudicavisse demonstrare studet. Conferatis quaeso Pausan. VIII, 11, 6: *Μαχαιρίωνα δὲ*

λόγῳ μὲν καὶ αὐτοὶ (sc. *οἱ Μαντινεῖς*) ⟨*καὶ*⟩ *οἱ Λακεδαιμόνιοι λέγουσιν, ἔργῳ δὲ οὔτε ἐν Σπάρτῃ Μαχαιρίων ἐστὶν οὐδείς, οὐ μὴν οὐδὲ παρὰ Μαντινεῦσιν, ὅτῳ γεγόνασιν ὡς ἀνδρὶ ἀγαθῷ τιμαί.* cum Plut. Ages. c. 35, 1—2: *Λακεδαιμόνιοι δὲ Μαχαιρίωνας ἔτι νῦν τοὺς ἀπογόνους τοῦ Ἀντικράτους καλοῦσιν ὡς μαχαίρᾳ πατάξαντος. οὕτω γὰρ ἐθαύμασαν καὶ ὑπερηγάπησαν αὐτὸν φόβῳ τοῦ Ἐπαμεινώνδου ζῶντος ὥστε τιμὰς μὲν ἐκείνῳ καὶ δωρεὰς ψηφίσασθαι, τῷ γένει δ' ἀτέλειαν, ἣν ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἔχει Καλλικράτης, εἷς τῶν Ἀντικράτους ἀπογόνων.*

Nonne apertum est Pausaniae verba: „*Μαχαιρίων ἐστὶν οὐδεὶς . . . ὅτῳ γεγόνασιν . . . τιμαί . . .*" ad Plutarchi: „*ὥστε τιμὰς . . . ἐκείνῳ καὶ δωρεὰς ψηφίσασθαι*" pertinere? Ergo Plutarchus eundem virum atque in Agesilai etiam in Epaminondae vita illum interfecisse tradidit. — Pausaniae ipsius sententia, qui Gryllum illum in proelio equestri Epaminondam transfixisse contendit (IX, 15, 5), ex pictura quadam pendet, quam prius Athenis viderat (I, 3, 4) et in qua proelium equestre illud[1] apud Mantineam anno 362 ante ipsam pugnam commissum et, ut ei quidem videbatur, Gryllus Epaminondam interficiens depictus erat. Confudit autem ambo proelia, quod alii quoque fecerunt[2]. Quomodo hic error oriri potuerit, A. Schaefer in libro, quem de Demosthene eiusque aetate condidit[3], satis copiose atque magno acumine exposuit, qua de causa eam rem hoc loco retractare longum est. Discrepantia autem, quae inter Plutarchi verba et picturam illam vel, ut rectius dicam, verba Atheniensis cuiusdam gloriosi, qui picturam, quo pertineret, ei interpretatus erat, intercedere ei videbatur, Pausanias commotus est, ut diligentius hac de re et Thebis et Spartae et Mantineae inquireret. Sed postquam omnes inter se dissentire neque aut Spartae aut Mantineae Machaerionem fuisse, „*ὅτῳ γεγόνασιν ὡς ἀνδρὶ ἀγαθῷ τιμαί*", cognovit, tabula illa certissimum fideque dignissimum testimonium ei videbatur. Sed cui nos fidem habere debemus? Plutarchone, quem item Spartae fuisse constat[4] et qui certis atque definitis verbis etiam suis temporibus Callicratem

[1] cf. Xenoph. Hell. VII, 5, 14—17; Plut. de glor. Athen. c. 2 p. 346b, ubi eadem tabula describitur atque apud Pausaniam I, 3, 4.

[2] cf. Diodor. XV, 84; Diog. Laert. II, 6, 10.

[3] Edit. I, vol. III, part. 2, p. 10.

[4] cf. R. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea, I p. 61.

quendam propter merita proavi immunitate usum esse affirmat, an Pausaniae, qui hoc negat? Quamquam certis argumentis res disceptari non potest, tamen Plutarchus, qui ab ipso illo Callicrate hoc cognovisse videtur, dignior meo iudicio est, cui credatur, quam Pausanias, quem id solum proponere, quod vulgo tradebatur, valde verisimile est. —

Attamen a proposito meo digressus sum. Quod ad nostram quaestionem attinet, satis est scire, toto hoc loco Pausaniae nihil nisi § 7 et 9 et fortasse § 10 depromptum esse posse ex Plutarchi scripto.

Si quaerimus, num aliis quoque locis, ubi de Epaminonda aliquid nuntiat, Pausanias a Plutarcho pendeat, libri I c. 3, 4 omittere possumus, ubi praeter ea, quae ad Euphranoris tabulam pictam[1] pertinent, nihil dicatur, nisi quod omnibus ex memoria notum erat. Ne lib. IV quidem c. 26—27, quibus narratur, quo modo auctore Epaminonda Messene restituta sit, ille vita Plutarchea usus esse potest, quoniam multo pluribus verbis his de rebus agit, quam apud Plutarchum exspectandum est, et saepe talia quoque profert, quae ad Epaminondam prorsus non pertinent. Cum insuper in continua omnium rerum Messeniarum narratione de hac restitutione agatur, Pausaniam hic sicut in sequentibus partibus auctorem quendam rerum Messeniarum secutum esse[2] verisimile est.

Aliter tamen de libro VIII et IX iudicandum est, ubi praeter eos, de quibus supra iam agitavi, aliis quoque locis Plutarchi vim cognoscere possumus. Qua in re meo iudicio a discrepantia quadam nobis proficiscendum est, quae inter lib. VIII, 27, 8 et IX, 14, 4 exstare videtur. Nam cum hic Megalopolis urbs in prima Epaminondae expeditione Peloponnesiaca condita esse dicatur, eadem res illic anno pugnae Leuctricae ponitur. Legimus in lib. VIII, 27, 8: *Συνῳκίσθη δὲ ἡ Μεγάλη πόλις ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ καὶ μησίν*[*τε*] *ὀλίγοις ὕστερον ἢ τὸ πταῖσμα ἐγένετο Λακεδαιμονίων τὸ ἐν Λεύκτροις, Φρασικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας, ἣν Δάμων Θούριος ἐνίκα στάδιον.* Quae temporis descriptio, quamquam et Diodoro et Marmori Pario, quod dicitur[3], obloquitur, tamen omnibus fere viris doctis

[1] cf. supra p. 22.

[2] cf. Busolt, Griechische Geschichte, I p. 579 sq.; Ed. Schwartz, Tyrtaeus, Herm. vol. 34 p. 458.

[3] cf. Diod. XV, 72, 4 ubi res post pugnam illam, quae „*ἄδακρυς*" dici solet, commemoratur. Etiam in inscriptione illa post annum 371/70 urbem conditam esse nuntiabatur. Utrum anno 370/69 an 369/68 res posita sit, non satis clarum est.

accipienda esse videbatur[1]. Nunc tamen, postquam Benedictus Niese[2] acuta disquisitione necessarie demonstravit anno pugnae Leuctricae omnino hoc non fieri potuisse, quaerere opus est, quo modo eiusmodi error oriri potuerit et cui tribuendus sit. Qua de re B. Niese hoc modo iudicavit (l. c. p. 536):

„Ich vermute, daß ihm eine Notiz der Art vorlag, wie sie jetzt bei Stephanus von Byzanz s. *Μεγάλη πόλις* sich findet: *Μεγάλη πόλις, πόλις Ἀρκαδίας, ἣν συνῴκισαν ἄνδρες Ἀρκάδες μετὰ τὰ Λευκτρικά.* Pausanias hat die ungefähre Angabe *μετὰ τὰ Λευκτρικά* verbessert und dafür das Jahr der Schlacht selbst eingesetzt."

Quamquam in universum ei assentior atque Pausaniam hanc descriptionem non in libro quodam de temporibus scripto invenisse, sed ipsum errore quodam captum adiecisse egregie Niese mihi videtur intellexisse, tamen nondum plane meo iudicio rem perspexit. Etenim si Pausaniae lib. IX c. 14 accuratius percensemus, imprimis extrema verba paragraphi 1 atque prima paragraphi 4, clare apparet scriptorem non modo Megalopolim conditam sed omnino expeditionem illam Epaminondae eodem anno paucis mensibus post Leuctricam victoriam susceptam esse putavisse atque discrepantiam inter hunc locum et lib. VIII, 27, 8 re vera non intercedere. Quoniam scimus eum in c. 13—15 libri IX Plutarchum secutum esse, quem secundum rationem suam scribendi non clare significavisse, quantum temporis spatium inter has res intercessisset, per se valde verisimile est, atque cum insuper ex eo, quod pugnam illam media aestate commissam, expeditionem autem ineunte hieme susceptam esse ex Plutarchi scripto[3] quoque cognoscendum erat, facile sententia oriri potuerit hanc eiusdem anni hiemem fuisse (cf. Paus. verba VIII, 27, 8: *ἐνιαυτῷ δὲ τῷ αὐτῷ καὶ μησίν[τε] ὀλίγοις ὕστερον . . .*), vix dubium mihi videtur, quin Pausanias a Plutarcho ad hunc errorem adductus sit[4]. Eadem ratio necessario intercedit etiam inter lib. VIII, 8, 10: *Μαντινέας*

[1] cf. B. Niese, Beiträge zur Geschichte Arkadiens, Herm. vol. 34 p. 528, ubi illi viri enumerantur.

[2] ibid. p. 529 sq.

[3] cf. vit. Camill. c. 19, 2 et Ages. 28, 5, quibus de locis supra p. 13 agitavi. Ad expeditionis tempus spectant Pelop. 24, 1, Agesil. 32, 2 et 8.

[4] Contrariam rationem O. Grillnberger l. c. p. 118 iniit: „In der Epaminondasvita stand etwa zu lesen, was im Leben des Pelopidas 24, 5 mit nachstehenden Worten erzählt wird: *ἐν ἐκείνῃ τῇ στρατείᾳ* (370/69) *πᾶσαν μὲν Ἀρκαδίαν εἰς μίαν δύναμιν συνέστησαν.* Nun fand Pausanias in einer chronologischen Quelle, daß Megalopolis 371 erbaut worden sei (VIII, 27, 8) und wurde dadurch verleitet, die Ordnung der peloponnesischen Angelegenheiten durch die Thebaner diesem Jahr zuzuweisen". Sed praeterquam quod, si ita esset, quaerendum erat, unde in libro illo temporum error ortus esset, B. Niese l. c. alio exemplo allato confirmavit, Pausaniam gravioribus rebus interdum temporis descriptionem accuratiorem sua sponte apposuisse. Hic autem ex ipsis eius verbis: *ἐνιαυτῷ δὲ τῷ αὐτῷ καὶ μησίν[τε] ὀλίγοις ὕστερον ἢ τὸ πταῖσμα ἐγένετο Λακεδαιμονίων τὸ ἐν Λεύκτροις . . .* apparere mihi videtur eum non Megalopolis urbis conditae sed Leuctricae pugnae tempus apud auctorem suum descriptum invenisse.

δὲ ἐκ τῶν κωμῶν κατάξειν ἐς τὴν πατρίδα ἔμελλον Θηβαῖοι μετὰ τὸ ἔργον τὸ ἐν Λεύκτροις, et IX, 14, 4, ubi haec res in Epaminondae expeditione Peloponnesiaca tractanda commemoratur. Quod lib. IV, 27, 9 Messene recte Dyscineto archonte, id est a. 370/69 a. Chr. restituta esse dicitur, non multum valet. Nam quoniam hic, ut modo exposui, alium auctorem Pausanias secutus est et insuper quartus liber multo ante octavum et nonum compositus est[1], eiusmodi discrepantia facile eum effugere potuit.

Quibus expositis apparet Pausaniam inde a lib. VIII ex Plutarchi opere non modo, quae ad ipsum Epaminondam pertinent, sed etiam alias quasdam res illius aetate gestas cognovisse atque quaerendum est, ubi praeterea illius vestigia nobis occurrant. Nec tamen multa inveniemus. In cap. 27, quo de Megapoli urbe agitur, praeter § 8, ubi temporis descriptio illa exstat, solis in § 1—2 a Plutarcho aliquid depromptum esse potest. Indices tamen virorum, qui ad urbem constituendam delecti essent, atque urbium, quarum civitates in novam coloniam deductae essent, sine dubio aliunde additi sunt et inde a § 9 res narrantur, quae post Epaminondae mortem gestae sunt. Rerum Mantinensium quoque (VIII, 8, 4—12) necessario eae solae, quae Epaminondae temporibus sunt gestae, respiciendae sunt (§ 10, de § 7 dubitari potest). Idem fortasse de cunctorum Arcadum rebus gestis dicendum est (VIII, 6, 2). Denique etiam VIII, 52, 4[2] et IX, 6, 4 (cf. IX, 13, 11 et Plut. Ages. c. 29, 1) ad Plutarchum revocare possumus, quod cum ceteris illius et Pausaniae dictis plane consentiunt. Accuratius de singulis rebus postea in ipsa vita restituenda agendum erit.

Inter ceteros scriptores, quos Plutarchi opere usos esse nescio an quis putet, primus Appianus commemorandus est, qui con-

[1] cf. W. Gurlitt, Über Pausanias p. 1.

[2] cf. alterius partis II, 2, ubi de tempore Megapolis conditae agitur.

iectura quidem Benedicti Niese[1] ex eo deprompsisse dicitur, quae in Syriaci libri cap. 41 de Epaminondae causa publica apud iudices acta narrat. Quoniam Appianus hanc causam Epaminondae in comparatione Scipionis Africani Maioris commemorat atque etiam Plutarchum eius vitam cum Scipionis cuiusdam composuisse in catalogo scriptorum traditum est, hanc coniecturam per se magnam probabilitatis speciem habere negari non potest. Accedit, quod discrepantiae, quae exstant inter Appianum et Plutarchi narrationem, quo quidem modo ex Pelopidae vitae c. 24—25 et ex Pausaniae IX, 14, 5—7, imprimis tamen ex Plutarchi scripti „de se ipsum citra invidiam laudando“ c. 4 p. 540d—e reficienda est[2], et quae primo aspectu sententiam plane reicere videntur, non tanti momenti sunt, quoniam a scriptore ipso effectae esse possunt.

Primum haud dubie verba „*στρατὸν ἑκάστῳ δόντες*“, quibus Romana institutio Thebas transfertur, Appiano ipsi tribuenda sunt, qui praecipue res Romanas scripserit, nec tamen eius auctori. Tres autem boeotarchas missos esse, quem numerum praeter Appianum etiam Cornelius Nepos (Epam. 7, 3) perhibet, etiam Plutarchus in Epaminondae vita nuntiavisse potest. Nam quamquam in Pelopidae vit. 24, 2 praeter Epaminondam et Pelopidam „*οἱ ἄλλοι βοιωτάρχαι*“ commemorantur, tamen nescio an hic Plutarchus ad Pelopidae meritum augendum, qui primus Epaminondae assensus esse et ceteris persuasisse dicitur, rem paulo commutaverit. Ex ceteris locis numerus non elucet. — Minoris quoque momenti est, quod Appianus Epaminondam sex mensibus diutius, quam permissum erat, imperium tenuisse dicit, cum apud Plutarchum in Pelop. 25, 1 perinde atque apud Cornelium Nepotem et in apophth. Epaminondae 23 quatuor tantummodo nuntientur. Nam numerorum differentiae facile auctoris ipsius vel librariorum erroribus fieri poterant. — Alia discrepantia eo fortasse orta est, quod Appianus Plutarchi verba perperam interpretabatur. Nam cum apud Plutarchum omnibus locis boeotarchi legem quandam neglegant, qua tempore magistratus exacto domum redire et

[1] cf. Herm. vol. 39, 1904, p. 87 adnot. 2.

[2] Epaminondae apophth. 23 hac in re neglegendum esse mihi videtur, quod, ut supra exposui (p. 14), ex Epaminondae vita depromptum esse nimis probabilitate careat.

imperium deponere coguntur, et hanc ob causam, quamvis de re publica meriti sint, invidia civium quorundam inimicorum accusentur, Appianus populi scito invidia adversariorum illorum effecto eos non obtemperantes fingit. Eodem errore etiam Cornelius Nepos lapsus est (Epam. 7, 3). — Ne id quidem multum valet, quod ipsa verba, quibus Epaminondas se defendisse dicitur, alia sunt apud Appianum, alia apud Plutarchum (de se ipsum citra invid. laud. c. 4 p. 540e). Nam cum hic Epaminondam iudicibus et civibus res expeditione illa gestas in memoriam reducentem faciat his verbis: ... *τέλος δὲ φήσαντος ὡς ἕτοιμός ἐστιν ἀποθνήσκειν, ἂν ὁμολογήσωσιν, ὅτι τὴν Μεσσήνην ᾤκισε καὶ τὴν Λακωνικὴν διεπόρθησε καὶ συνέστησεν Ἀρκαδίαν ἀκόντων ἐκείνων* ..., apud Appianum hunc supremum titulum ille sibi poscit: *Οὗτός ἐστιν ὁ περὶ Λεῦκτρα νικήσας καὶ τὴν πατρίδα, τοὺς ἐχθροὺς οὐχ ὑπομένουσαν, οὐδ' εἴ τις ξένος ἔχοι Λακωνικὸν πῖλον, ἐπὶ τὴν Σπάρτην αὐτὴν προαγαγών. οὗτος ὑπὸ τῆς πατρίδος ἀνῄρηται, παρανομήσας ἐπὶ συμφέροντι τῆς πατρίδος.* Quoniam Appianus eos, qui opus suum lecturi essent, de vita Epaminondae satis accurate eruditos esse exspectare non potuit, hic quoque Plutarchi dicta eum commutavisse licet putare, ut clarius illustraret, quibus factis Epaminondas de patria tam optime meritus esset. Nam pugna Leuctrica plerisque notissima erat, nec tamen, quae Plutarchus de Arcadiis Messeniisque rebus dixerat, statim intelligi poterant, nisi cuncta, ut acta erant, exponebantur. — Qua cum re invicem cohaeret, quod ne extrema quidem verba plane cum Plutarcho consentiunt. Appianus scribit: *Οἱ δικασταὶ δὲ τῷ τε ὀνείδει τοῦ λόγου καὶ θαύματι τῆς ἀπολογίας καὶ αἰδοῖ τοῦ ἀνδρὸς ἀπολογουμένου, τὰς ψήφους οὐχ ὑποστάντες λαβεῖν, ἐξέδραμον ἐκ τοῦ δικαστηρίου* . . ., Plutarchus autem: *Οὐδὲ τὰς ψήφους ἀναλαβεῖν ἐπ' αὐτὸν ὑπέμειναν, ἀλλὰ θαυμάζοντες τὸν ἄνδρα καὶ χαίροντες ἅμα καὶ γελῶντες ἀπηλλάγησαν.* Nam cum iocosa illa dicta Epaminondae: *ἂν ὁμολογήσωσιν ὅτι τὴν Μεσσήνην* . . . . . *ἀκόντων ἐκείνων* omisisset, iudices non „*χαίροντας ἅμα καὶ γελῶντας*“ ex iudicio discedentes facere potuit.

Nihil ergo in Appiani capite inesse mihi videtur, quo a Plutarcho id abiudicare cogimur. Cum insuper verba: *οἱ μὲν ἕτεροι διέφυγον οἴκτῳ τε χρώμενοι καὶ λόγοις πλείοσι*, qua de re apud Cornelium Nepotem et in Epam. apophth. 23 nil dicitur, valde cum Plutarchi verbis (l. c. c. 4 p. 540d): *Πελοπίδαν μὲν*

ὑποπίπτοντα καὶ δεόμενον μόλις ἀπέλυσαν[1] consentiant, Benedicti Niese coniecturam fide dignissimam esse nemo negari potest.

Etiam Polyaenum et Aelianum a Plutarcho nonnulla de Epaminonda deprompsisse nescio an quis putet. Quodsi ita esset, cum alios quoque fontes eos adhibuisse appareat, difficile erat ad disceptandum, quid Plutarcho tribui posset. Nunc vero meo iudicio Melber[2] et Brunk[3] recte dixerunt similitudines illas non eo factas esse, quod scriptores illi ex Plutarchi opere aliquid excerpsissent, sed quod eisdem vel similibus fontibus usi essent, quoniam non raro singulis rebus ab eo differunt. Sed quoquo modo res se habet, id quidem certum est: eorum collectionibus magna cum cautione nos uti necesse esse.

3. De scriptoribus, qui ex eisdem fontibus hauserunt atque Plutarchus.

a) De fontibus Plutarchi in vita Epaminondae.

Praeter Plutarchi ipsius scripta eosque auctores, qui quae de Epaminonda proferunt ex vita illa sumpserunt, summi momenti necessario in nostra quaestione ii quoque sunt, quorum ex operibus ille materiam collegit vel, ut rectius dicam, quoniam hi aetatem non tulerunt, ii, qui ex eisdem fontibus atque Plutarchus hauserunt. Primum ergo inquirendum nobis est, quinam sint illi scriptores, a quibus imprimis Plutarchus pependerit; quae res quam difficilis sit in eius scriptis, inter omnes constat. Nam quamquam in vitis in universum quidem unum auctorem quasi ducem sequi solebat, tamen numquam eum serviliter, ut ita dicam, exscribebat, sed semper libere commutabat atque etiam verbis amplificabat. Saepissime quoque, ut erat permulta lectione, suo marte partim ex memoria, partim ex aliis fontibus singulas res adiungebat[4]. Praeterea ne de genere quidem auctorum, ex quibus plurima Plutarchus sumere solebat, viri docti plane inter se consentiunt.

[1] In Pelopidae quoque vita hoc significari quidem videtur his verbis (25,2): *εἰςήχθη μὲν οὖν πρότερος εἰς τὸ δικαστήριον Πελοπίδας, διὸ καὶ μᾶλλον ἐκινδύνευσεν.*

[2] Melber, Über die Quellen und den Wert der Strategemensammlung des Polyaen. Jahrb. f. kl. Philol., Suppl. XIV p. 545.

[3] A. Brunk, Zu Aelians „varia historia". Commentat. philol. in hon. sodalitii philol. Gryphisw. 1887.

[4] cf. C. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte, p. 222.

Nam cum antea in universum opinio esset eum in vitis componendis vere historicos illos scriptores, ad quos saepissime legentes revocat, adhibuisse, novissimis temporibus Ed. Meyer et Fr. Leo[1], quibus alii assensi sunt, hoc negant et demonstrare studuerunt eum ubique fere biographorum, ut ita dicam, auctorum quorundam operibus, quibus iam dudum varia materia de viris illustribus tradita undique congesta esset, usum esse et vix quidquam nisi verba adiecisse. Quamquam quodammodo haec sententia accipienda est, tamen mihi quoque[2] hac de re ita iudicantes ultra iustos fines progressi esse videntur. Cum ab omnibus agnoscatur atque praedicetur, quanta scientia litterarum Plutarchus fuerit, cum certe sciamus, quam diligenter Herodotum et Thucydidem evolverit, atque ne Ephorus quidem aut Theopompus aut Callisthenes, ut nonnulla quidem nomina afferam, ignoti ei fuerint, difficile est ad credendum eum in vitis componendis eorum opera plane neglexisse. — Sed nihilominus, quoniam plerorumque scriptorum opera, quae Plutarchus commemorat, aetatem non tulerunt, permultis locis certum iudicium facere non possumus, atque necessario difficilior quoque haec quaestio in eis vitis est, quae ne servatae quidem sunt, sicut in Epaminondae. Attamen cum vix dubium sit, quin Plutarchus in ceteris scriptis, quibus Thebanorum res Epaminondae aetatis tractantur, imprimis in Pelopidae vita, ex eisdem fontibus hauserit atque in „Epaminonda", in universum quidem, quomodo res se habuerit, cognoscere possumus.

Primum E. v. Stern[3] et O. Grillnberger assentior, qui Plutarchum Boeotiam vel Thebanam quandam memoriam secutum esse contendunt, quae, quod nihil antiquius habuerit quam, ut Thebanorum eorumque ducum gloriam praedicaret, persaepe res gestas in maius extulerit atque etiam interdum falsa et ficta prodiderit. Non modo ex eo hoc apparet, quod idem studium in operibus Plutarchi animadvertimus, sed etiam, quod ille non raro tantam scientiam intestinarum rerum Boeotiarum et Thebanorum

[1] Ed. Meyer, Forschungen, vol. II, 1899, p. 23; p. 65 sq.; Fr. Leo, Die griechisch-römische Biographie, p. 155.

[2] cf. Grillnberger l. c. p. 131 sq.; H. Peter, Berl. Philol. Wochenschr. 22, 1902, p. 16.

[3] E. v. Stern, Xenophons Hellenika und die böotische Geschichtsüberlieferung; O. Grillnberger l. c. cap. I—III, imprimis p. 97 sq.

ostendit, quantam solo ex Boeotio fonte hausisse potest. Nemo, qui libero iudicio et attento animo Pelopidae vitam perlegit, imprimis c. 5—13 (de exulum Thebanorum reditu tyrannorumque nece), c. 16—17 (de proelio Tegyreo), c. 18—19 (de origine et natura cohortis sacrae), c. 21—22 (de viso somnii Pelopidae ante pugnam Leuctricam), c. 25 (de concertatione inter Pelopidam et Meneclidem) etc., hac de re dubitare potest, praesertim cum, quae contra hanc sententiam prolata sunt[1], nullius sint momenti neque omnino digna, quae reiciantur.

Si quaerimus, quis auctor ille fuerit, qui cum Plutarcho hanc Thebanam memoriam communicaverit, primus Ephorus spectandus est, de quo non pauci viri docti cogitaverunt[2] et cuius in opere, praeter quam quod per totam antiquitatem ab omnibus lectitabatur atque etiam Plutarchus non numquam ostendit, quam diligenter hunc scriptorem evolverit[3], idem studium Thebanorum exstitisse satis notum est. Imprimis ex Diodoro hoc apparet, quem in Graecis rebus narrandis pleraque ex Ephoro sumpsisse communiter constat[4] et qui studium quoque illud Thebanorum in suum opus transportavit. Iam in prioribus saeculis describendis ille non raro contra auctorem suum, Herodotum vel Thucydidem, quasi patro-

[1] cf. W. Christ, S. B. d. Münch. Ak., 1901, p. 67sq., ubi probare intendit Plutarchum in tyrannicidio enarrando non unum auctorem secutum esse, sed alia ex Xenoph., alia ex Ephoro deprompsisse, cetera ex suo ingenio affinxisse, et hac ex re Boeotiam historiam omnino non exstitisse colligere videtur. Sed eius vestigia non minus clare in ceteris Pelopidae vitae partibus cognoscenda sunt. Quae si exstitit, haud dubie etiam tyrannorum necem copiose descripsit. Fortasse Christ aliter iudicavisset, si non solum Sternii historicum opus sed etiam eius dissertationem de Xenophontis Hellenicis legisset. De sententia Adolphi Bauer (Hist. Ztschr. 65, 1890, p. 240sq.), qui in Epaminondae vita Theopompum fontem fuisse coniecit, postea p. 50sq. paucis agam.

[2] cf. Sievers, Thebens Befreiung von spartanischer Herrschaft. Progr. d. Johanneums in Hamburg, 1837, p. 37sq. Griechische Geschichte, p. 172 adnot. 20. Christ l. c. p. 71. Etiam nuper C. Fr. Lehmann-Haupt in operis, quod inscribitur: „Einleitung in die Altertumswissenschaft" (ed. Gercke et Norden), vol. III p. 93. Ephorum et in Pelopidae et in Agesilai vitis fontem fuisse dixit. Haug, Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen, p. 58sq., de Ephoro et Theopompo cogitat.

[3] cf. de garrul. c. 22, p. 514c; praecept. ger. rei publ. c. 6 p. 803b; de Herodoti malign. c. 5 p. 855f; c. 36 p. 869a.

[4] cf. Volquardsen, Untersuchungen über die griechische und sizilische Geschichte bei Diodor XI—XVI. Kiel 1868.

cinium Thebanorum suscepit[1]. Praecipue tamen ex Diodori libro XV, quo tempus Thebanorum principatus tractatur, hoc studium elucet, quo non raro Thebanorum gratia res gestae depravantur[2]. Praeter ceteros autem Epaminondas praedicatur et summis laudibus effertur, cuius tanta admiratione Ephorus videtur imbutus esse, ut non tam Thebanorum quam Graecorum omnium praestantissimum eum putaret[3]. Sed quamquam his omnibus consideratis Ephorum magna ex parte a Boeotiis sive litteris sive sermone pependisse negari non potest atque etiam scimus Plutarchum ea ipsa, quae de Epaminondae aetate scripserat, legisse et cognovisse[4], tamen eius primarium fontem eum putare nihilo minus non licet. Nam si accuratius Plutarchi dicta cum eis partibus Diodori comparamus, quae certe ex Ephoro sumptae sunt[5], scriptores non raro gravioribus rebus inter se discrepare et Plutarchum rectius res describere cognoscimus. Quod exemplis nonnullis comprobare mihi liceat. Cum Diodorus cap. 34, 2 maiorem pugnam inter Lacedaemonios et Thebanos factam esse tradat, Plutarchus inter Thebarum liberationem et Leuctricam pugnam levia tantummodo parvulaque proelia commissa esse recte dicit; cf. Pelop. vit. 15, 1: *καὶ μαχόμενοι μάχας αὐτὰς μὲν οὐ μεγάλας, μεγάλην δὲ τὴν μελέτην ἐχούσας καὶ ἄσκησιν* et § 5: *οὐ γὰρ ἐκ παρατάξεως ἦσαν οὐδὲ μάχης ἐμφανῆ κατάστασιν ἐχούσης καὶ νόμιμον* ... — Proelium Tegyreum, quo primum ex acie Pelopidam duplicem Lacedaemoniorum vim vicisse Plutarchus copiose narrat (c. 16—17), Diodorus non satis diligenter apud Orchomenum commissum esse tradit (XV, 37). Deinde cum Plutarchus Pelopidam sola cum sacra manu trecentorum virorum (cf. c. 18, 1) et perpaucis equitibus Orchomenum profectum esse dicit (c. 16, 2), Diodorus quingentos homines perhibet. Denique etiam ipsum certamen diversissima ratione describitur et Pelopidas a Diodoro omnino non commemoratur[6]. Etiam in Leuctrica pugna describenda

[1] cf. Busolt, Griech. Gesch. III, 21; W. Judeich, Theopomps Hellenica, Rh. Mus. 66, 1911, p. 107.

[2] cf. Grillnberger, l. c. cap. I et II, p. 1sq.

[3] cf. XV, 38, 3; 39, 2—3; 50, 6; 52, 7; 55, 1; 56, 2—3 etc., maxime c. 88.

[4] cf. de garr. c. 22 p. 514c.

[5] Valde verisimile mihi videtur Diodorum, quae de Thessalicis rebus tradit, aliunde deprompsisse, cf. infra p. 40sq.

[6] Omnino mirum mihi videtur quod Diodorus usque ad Leuctricam pugnam nusquam Thebanorum duces commemorat (cf. lib. XV, c. 25; 27, 4;

(XV, 51—56) Pelopidae merita, qui apud Plutarchum primas fere partes agit (Pelop. c. 20—23) plane negleguntur, quamvis accurate omnia explicentur. Solius Epaminondae virtus et scientia militaris praedicatur atque etiam sacra corhors ei tribui videtur[2], cui ceteri auctores[3] Pelopidam praefuisse memoriae produnt. Gravius est, quod apud Plutarchum, sicut in Xenophontis Hellenicis VI, 4, 17, post Leuctricam calamitatem novus Lacedaemoniorum exercitus auxilio accedit (cf. Paus. IX, 14, 1 et Pelop. vit. c. 20, 1 et 23, ubi solo de Cleombroti exercitu decem milium agitur), cum Diodorus hunc ante pugnam advenisse atque Cleombrotum ad proelium committendum impulisse fingat (XV, 54, 6—7). Proelium Corinthiacum illud secunda Epaminondae Peloponnesiaca expeditione factum, quo Thebani ab Atheniensibus duce Chabria detrimentum quoddam acceperunt (cf. Xen. VII, 1, 18—19), apud Diodorum quasi maior Atheniensium victoria describitur (XV, c. 69), cum Plutarchus apophth. 19 testimonio ita diceret: *Τοῦ δὲ Χαβρίου περὶ Κόρινθον ὀλίγους τινὰς τῶν Θηβαίων ὑπὸ τὰ τείχη φιλομαχοῦντας καταβαλόντος καὶ στήσαντος τρόπαιον* . . . — Denique cum Diodorus vel Ephorus Epaminondam propter res navali expeditione gestas summis laudibus efferat et, nisi immatura morte absumptus esset, eum Thebanos terra marique omnium Graecorum principes redditurum fuisse dicat (XV, 78, 4sq.), Plutarchus in Philopoemenis vit. 14, 1—2 eum non multum effecisse concedit. Quamquam alia quoque argumenta afferri possunt, tamen haec iam sufficere mihi videntur ad probandum Plutarchum ex Ephoro vix quidquam nisi leviores res deprompsisse posse.

32, 3sq.; 33, 5; 34, 1—2; 37, 1—2; 46, 4), cum de Lacedaemoniis (cf. c. 19, 3; 20, 3: 21, 1; 22, 2; 23, 2; 29, 5; 30, 3; 31, 3; 33, 6 etc.) Atheniensibusque (cf. c. 26, 2; 29, 2, 3; 30, 5; 32, 5; 33, 4 etc.) non modo quibus ducibus milites vel naves sed plerumque etiam, quantum numerum eorum miserint, nobiscum communicet. Quibus consideratis, quoniam eum ipsum sua sponte haec omisisse non verisimile est, nescio an putandum sit Ephorum solis de Atheniensibus et Lacedaemoniis, quos tum primas partes agere crederet, accuratius egisse. Ea quoque de causa fortasse Plutarchus in Pelopida eum neglexit.

[2] cf. XV, 55, 2: *Ἐκλεξάμενος γὰρ ἐξ ἁπάσης τῆς δυνάμεως τοὺς ἀρίστους ἐπὶ τὸ ἕτερον μέρος ἔστησε, μεθ' ὧν καὶ αὐτὸς ἔμελλε διαγωνίζεσθαι*; deinde c. 55, 4; 56, 1.

[3] cf. Plut. Pelop. 20, 2; 23, 2, 4; Cornel. Nep. Pelop. c. 4, 2; Dinarch. I, 73. Idem apud Diod. XV, 81, 2, ubi Ephorus non auctor fuisse mihi videtur.

Aliam sententiam E. v. Stern in dissertatione, quam inscripsit: „Xenophons Hellenika und die böotische Geschichtsüberlieferung", proposuit: Ex mira scribendi ratione, quam Xenophon in „Hellenicis" secutus esset, ubi non modo Lacedaemonios defendere eorumque fortitudinem et Agesilai scientiam militarem praedicare studuisset, sed etiam saepius graviores res omisisset, sicut Megalopolim conditam, Messenam restitutam, Pelopidae res in Thessalia gestas, alias, leviores invicem copiosissime exposuisset, sicut Phliasiorum res gestas (VII, 2), colligendum esse eum alii historiae rescribere, quae tum omnibus in manibus fuisset et cuius auctores nihil antiquius habuissent quam, ut Thebanorum eorumque ducum gloriam celebrarent, etiamsi a veritate deflecterent[1]. Quoniam Diodorus XV, 95, 4 commemoraret Anaxim et Dionysodorum Boeotios quosdam auctores usque ad annum 360 a. Chr. n. res gestas descripsisse, eos historiam illam composuisse coniecit[2]. Nec tamen ipsis illorum libris Plutarchum usum esse putat, quos numquam commemorat, sed auctorem quendam, qui ex illis sua deprompserit. Hunc Callisthenem fuisse contendit, sororis Aristotelis filium eiusque discipulum, qui historia decem librorum, *Ἑλληνικά* inscripta, Epaminondae aetatem ab anno a. Chr. n. 387 usque ad annum 357 tractavit. Eundem antea iam Queck in dissertatione „de fontibus Plutarchi in vita Pelopidae" (dissert. Ienens. a. 1876) appellaverat, cum ostentaret, quantopere Plutarchi scribendi ratio, quam quidem in Pelopida secutus esset, cum eis congrueret, quae de Callisthene ex eius fragmentis aliisque testimoniis sciremus, cuius ad argumentationem Stern nonnulla adiunxit[3].

Quamquam hanc quoque sententiam improbare Grillnberger l. c. cap. III p. 77sq. conatus est, tamen mihi quidem hoc ei non plane videtur contigisse. Nimirum quae Stern exposuit de ratione inter Xenophontis Hellenica et Boeotios illos auctores, ipse quoque probare non possum. Ne meo quidem iudicio ex Xenophontis scribendi ratione clare apparet eum historiae cuidam rescribere, cuius auctor ad Thebarum gloriam praedicandam persaepe a veritate deflexerit, sed multo rectius Ed. Schwartz[4] Xenophontis

[1] cf. Stern l. c. p. 33sq.

[2] ibid. p. 65.

[3] ibid. p. 51 et 58sq.

[4] Quellenuntersuchungen zur griechischen Geschichte II, Rh. Mus. vol. 44 (1889), p. 161sq.

consilium in historia componenda cognovisse mihi videtur. Id quoque concedo ex ipsius Diodori verbis (XV, 95, 4): *Τῶν δὲ συγγραφέων Διονυσόδωρος καὶ Ἄναξις οἱ Βοιωτοὶ [τὴν τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίαν] εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατεστρόφασι τὰς συντάξεις,* nihil de tempore scriptorum illorum colligendum esse. Sed Callisthenem sua ex eorum opere vel operibus hausisse hoc modo non refellitur. Nam sine dubio Boeotos, qui Epaminondae aetatem describebant, imprimis illius et Pelopidae praeclare res gestas celebravisse per se verisimile est neque cuiquam, qui de hoc tempore modice eruditus est, mirum videri potest, quod opus *Ἑλληνικά* inscribebant[1]. Deinde etsi forte alii Thebanorum illius aetatis res scripserunt, tamen ex eo, quod Diodorus solos Dionysodorum et Anaxim appellat, eos maiore auctoritate usos esse nescio an concludendum sit. Eam quoque sententiam convincere facile est, quam Grillnberger l. c. p. 81 proponit: Thebanam memoriam non tam brevi post Epaminondae mortem litteris mandatam esse posse, quod, si ita esset, vix tam vitiorum plena esse posset. „Aber ich glaube" inquit, „das heißt an der Objektivität der Geschichtsschreibung schlechterdings verzweifeln." Neque enim omnino meo iudicio res ita depravavit, ut Grillnberger putat.

Quamquam, ut iam supra dixi, Ephorum, qui, quanto Boeotorum studio fuerit et quam saepe eorum res gestas in maius extulerit, leviora proelia in maiores pugnas commutaverit, ex Diodori libro XV elucet[2], ex parte quadam Boeotorum memoriam reddere concedo, tamen permulta eiusmodi vitiorum non tam fontium generi quam ipsius Ephori scribendi rationi et imperitiae rerum militarium tribuenda mihi videntur, quoniam eodem modo aliis quoque locis, ubi de Thebanorum nimio studio omnino non cogitandum est, res commutatas atque perperam descriptas invenimus (cf. 32, 5 sq.; 63, 2; 64, 3—4; 69; 72, 3 etc.). Plutarchus autem, qui ex Boeotiis historiis hausisse vix negari potest, multo rarius veritatem egressus est et saepe contra Diodorum res recte explicat, quod supra (p. 31 sq.) ne omnibus quidem exemplis allatis demonstravi. Qua de causa non Diodorum, sed Plutarchum Thebanorum memoriam integriorem servavisse est putandum neque quidquam obstat, ne iam ante Ephorum Boeotium quendam auctorem eam litteris man-

[1] Hac in re offendit Grillnberger l. c. p. 92.

[2] cf. c. 20, 2; 26—27; 34; 68. Omnia diligenter composuit Grillnberger l. c. cap. II p. 39 sq.

davisse statuamus. Quibus expositis Sternii sententia, Callisthenem ab Anaxi et Dionysodoro Thebanam traditionem, ut ita dicam, accepisse, non ab omni probabilitate abhorrere mihi videtur, quamquam firmioribus argumentis eam confirmare non possumus. Attamen id quidem, quod gravius est, satis certum mihi videtur: illum in Hellenicis Thebanorum gloriae rebusque gestis celebrandis operam dedisse et ea de causa a Plutarcho primarium auctorem adhibitum esse, quamquam Stern et Queck huic coniecturae tantummodo probabilitatem quandam conciliare potuerunt.

Primum ostendere conati sunt, quantopere cum Callisthenis scribendi more, quoad quidem eam cognovissemus, ea convenirent, quae ex Pelopidae vita de Plutarchi auctore colligenda essent. Qua de re Stern l. c. p. 59 sq. haec dicit: Plutarch erzählt breit und ausführlich; dasselbe muß von Kallisthenes gelten, wie schon die große Bücherzahl beweist, die er einem verhältnismäßig kurzen Zeitraum widmet. Plutarch beweist ferner eine genaue Kenntnis der thebanischen Verhältnisse, besonders auch der Kulte und religiösen Gebräuche. Daß Kallisthenes in dieser letzteren Beziehung exzellierte, zeigt das Fragment bei Stephanos (s. v. Tegyra), das, was Cicero (De div. 1, § 74—76) aus Kallisthenes über Wunder und Orakel vor der Schlacht bei Leuktra berichtet, und eine Reihe von Fragmenten (cf. fr. 28, 36 etc.) aus seiner Alexandergeschichte. Ferner zeigt Plutarch eine Vorliebe für Mirakel, sonderbare, bedeutungsvolle Träume und sensationelle Begebenheiten; die gleiche Vorliebe des Kallisthenes beweisen die Exzerpte bei Plutarch in der Alexanderbiographie (c. 23 et 27) und bei Cicero (a. a. O.). Wir können dann Plutarch den Vorwurf der Leichtgläubigkeit und Kritiklosigkeit nicht ersparen. Die letztere Eigenschaft wird an Kallisthenes von Aristoteles bei Plutarch im Leben des Alexander (c. 54) gerügt. Schließlich ist die ganze Darstellung bei Plutarch stark rhetorisch gefärbt. Daß die Schreibweise des Kallisthenes die gleiche Eigenschaft besaß, bezeugt Cicero in ‚De oratore' (II, § 58)." Sed recte fortasse Grillnberger l. c. p. 106 ei obloquitur et hoc argumentum non tanti ponderis esse monet: „Allein hiebei ist etwas sehr Wesentliches übersehen: dem Werke des Kallisthenes und der Lebensbeschreibung des Pelopidas wird allein zugeschrieben, was sowohl der Darstellung Plutarchs überhaupt als auch der thebanischen Überlieferung gehört, oder wenigstens zu den Merkmalen einer von beiden zählt etc."

Parvi etiam est momenti, quod semel (c. 17, 2) in Pelopida Callisthenis testimonium affertur, quia eodem loco Ephorus quoque et Polybius commemorantur atque insuper non raro factum esse scimus, ut Plutarchus ex fonte suo eiusmodi testimonia transferret. Ei tamen maior vis tribuenda est, quod fragmenta nonnulla Callisthenis cum Plutarchi locis quibusdam consentiunt. cf. fr. 2 ab Harpocratione sub nomine Sphodriae servatum: *Σφοδρίας . . . φησὶ δ' αὐτὸν ὁ Καλλισθένης ἐν β' Ἑλληνικῶν εὐήθη τε εἶναι λίαν καὶ κοῦφον πρὸς τὰς ἐλπίδας*, cum Pelop. vit. 14, 2: *Σφοδρίας ἀνὴρ Σπαρτιάτης, εὐδόκιμος μὲν ἐν τοῖς πολεμικοῖς καὶ λαμπρός, ὑπόκουφος δὲ τὴν γνώμην καὶ κενῶν ἐλπίδων καὶ φιλοτιμίας ἀνοήτου μεστός*, et Agesil. vit. 24, 3: *Ἦν δέ τις Λάκων Σφοδρίας . . . ἐν Θεσπιαῖς ἁρμοστής, οὐκ ἄτολμος μὲν οὐδ' ἀφιλότιμος ἀνήρ, ἀεὶ δ' ἐλπίδων μᾶλλον ἢ φρενῶν ἀγαθῶν μεστός*, ubi Plutarchus hanc morum descriptionem ad Xenophontis narrationem (V, 4, 20sq.) adiunxit. – Deinde apud Stephanum Byzantium sub nomine *Τεγύρα* haec invenimus (fr. 3): *Καλλισθένης ἐν τρίτῳ τῶν Ἑλληνικῶν εἶναι μαντεῖά φησι τὸ μὲν Ἰσμήνιον ἐν Θήβαις, τὸ δὲ Τροφώνιον ἐν Λεβαδείᾳ τὸ δὲ ἐν Ἀβαῖς λεγόμενον ἐν Φωκεῦσι, τὸ δὲ κυριώτερον ἐν Δελφοῖς, ὃ καὶ μάλιστά φασι μεμαρτυρηκέναι τὴν ἐν Τεγύρᾳ*, quo de loco recte Queck in dissertationis citatae p. 28 dicit: „Haec quidem Callisthenis e libro tertio verba a Stephano eo loco, quo de Apolline Tegyreo disputat, memorata sunt. Ea igitur ex libri tertii capite, quo Callisthenes pugnam apud Tegyras exposuit, fluxisse licet suspicari. Ergo ad Callisthenem quidquid Plutarchus capite vitae 16. de Apollinis ad Tegyras oraculo et origine rettulit, revocandum videtur esse." At vero si consideramus, quae Volquardsen in Bursiani annalium IV, 3 (1876) p. 405 docuit: „Man wird gewiß mit der Zeit immer mehr zu der Ansicht kommen, daß Übereinstimmungen einzelner Fragmente mindestens in der späteren griechischen Geschichtsschreibung für unmittelbare Entlehnung nur in sehr seltenen Fällen beweisend ist, weil der einmal vorhandene Stoff mit wenig Veränderungen von Hand zu Hand überging", cuius ad verba Grillnberger nos revocat (p. 105), has quoque consensiones rem non certe comprobare concedendum est.

Attamen firmiora quaedam argumenta adiungi possunt: Callisthenes a Plutarcho non modo in Pelop. vit. c. 17, 2 sed etiam in Agesil. c. 34, 4 commemoratur, ubi haec scripta sunt (agitur de ratione, qua Agesilaus de nocturno impetu ab Epa-

minonda in extrema expeditione Peloponnesiaca Spartam facta certior factus sit): *Εὐθύνου δὲ Θεσπιέως, ὥς Καλλισθένης φησίν, ὥς δὲ Ξενοφῶν, Κρητός τινος, ἐξαγγείλαντος τῷ Ἀγησιλάῳ*, quibus verbis primum perquam comprobari mihi videtur, quoniam praecipue Thebanos ipsos transfugam illum nomine cognovisse oportebat, Callisthenem ex Thebana traditione hanc rem hausisse et aliis quoque locis tantam Boeotiarum rerum scientiam ostendisse. Praeterea cum Plutarchus in eodem capite a Xenophonte, quem in universum hic secutus est, etiam aliis quibusdam rebus discrepet[1], has ex eodem Callisthene sumptas esse satis est verisimile. Nunc vero supra (p. 12sq.) exposui Plutarchum in Agesilai vita componenda ea, quae antea de eisdem rebus in Epaminondae vita scripsisset, non neglexisse. Quoniam sine dubio ne in illa quidem factum esse potest, ut impetus ille omitteretur, putare licet eum hoc quoque loco non tam ex Callisthenis ipsius historia quam ex suo opere Xenophontis dicta supplevisse, id est, eum in Epaminondae vita etiam eundem scriptorem adhibuisse.

Accedit gravius. Ut antea iam commemoravi, in vitae Agesilai c. 28, 4 his verbis ad Epaminondae revocamur: *Πολλῶν δὲ σημείων μοχθηρῶν γενομένων, ὥς ἐν τῷ περὶ Ἐπαμεινώνδου γέγραπται.* Eiusmodi ostenta autem ante pugnam Leuctricam Lacedaemoniis magnam calamitatem praedicentia Plutarchus ipse in scripti „de Pythiae oraculis c. 8 p. 397f. proponit, ubi haec legimus: „. . . *οἱ δ' ἀστέρες ἠφανίσθησαν οὓς Λύσανδρος ἀνέθηκεν ἀπὸ τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίας. ὁ δ' αὐτοῦ τοῦ Λυσάνδρου λίθινος ἀνδριὰς ἐξήνθησεν ἀγρίαν λόχμην καὶ πόαν τοσαύτην τὸ πλῆθος, ὥστε κατακρύψαι τὸν πρόσωπον*" (cf. Lys. vit. 12, 1; 18, 1). Qua de causa putare possumus eum etiam in Epaminondae vita loco significato eadem protulisse. Quin etiam ex vita in dialogum prodigia illa translata esse valde verisimile est, quoniam ex eo, quod Pythicos, qui dicuntur, dialogos Plutarchum senem scripsisse[2], Epaminondae autem Pelopidaeque vitas in prioribus ponendas esse[3] scimus, dialogum post vitam scriptum esse colligere licet. Eadem haec prodigia autem Cicero quoque loco illo in

[1] cf. alterius partis II, 2, ubi de Polybii lib. IX c. 8 agitur.

[2] cf. A. Bourguet, De rebus Delphicis imperatoriae aetatis, Montepessul. 1905, p. 74. Alio argumento usus est R. Hirzel, Der Dialog, vol. II, p. 204.

[3] cf. p. 12, adnot. 2.

libris „de divinatione“ (I, 74—76) affert, ubi auctore Callisthene omina quaedam et portenta paulo ante pugnam Leuctricam et a Thebanis et a Lacedaemoniis observata componit; cf. § 75:

Namque et in Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statua, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus, stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post navalem illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedaemoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi, Delphis positae paulo ante Leuctricam puguam deciderunt, neque repertae sunt.

Quoniam Plutarchum non ex Ciceronis opere haec sumpsisse, nisi per se esset improbandum, iam ex eo sequeretur, quod singulis rebus uberiora eius dicta sunt quam Ciceronis, eius quoque auctor Callisthenes hic erat. Quodsi apertum est Plutarchum ad Epaminondae tempora cognoscenda Callisthenem inspexisse, ceteris quoque consideratis, quae hac de re exposui, quis dubitet, quin non modo haec ostenta ex eius opere deprompserit, sed aliis quoque locis et in Epaminondae et in Pelopidae vita ab hoc auctore pependerit!

Non multum valet, quod Adolf Bauer[1] sententiam protulit Callisthenem non Thebanorum sed Lacedaemoniorum partibus in Hellenicis favisse. Quamquam Alexandri Magni sectator erat, cui infestissimos Thebani se praebuerant, tamen, si ea de causa ei non licuisset Boeotorum Epaminondaeque gloriam praedicare, multo minus Lacedaemoniorum rebus studere potuit, qui Alexandro in Asiam profecto statim cum Persarum classis duce conspirare coeperunt et paulo post Antipatrum, eius vicarium, bello persequebantur. Praeterea in Alexandri vitae c. 13, 2 diserte dicitur illum postea valde doluisse, quod tam crudelem in Thebanos se praebuisset. Itaque meo quidem iudicio nil obstat, ne Callisthenem primarium fontem Plutarchi in popularium vitis scribendis fuisse putemus[2].

---

[1] Der zweimalige Angriff des Epaminondas auf Sparta. Histor. Ztschr. 65, 1890, p. 263.

[2] In altera dissertationis parte elaboranda, aliud argumentum mihi occurrit, quo haec sententia etiam magis comprobatur; cf. p. 37 adnot. 1.

Nec tamen quisquam omnia, quae de illis proferuntur vel in perdita vita prolata erant, ex hoc scriptore fluxisse contendere potest. Inter omnes constat, quam saepe de singulis rebus, ut accuratius legentes docere posset, in aliis auctoribus sciscitatus sit. Imprimis quod attinet ad Epaminondam, quamquam historici quoque scriptores illorum temporum de vita, de natura moribusque virorum illustrium, quorum de rebus gestis eis agitandum erat, nonnulla quidem adiungere solebant[1], tamen hac de re eos tantam copiam singularum leviumque rerum proposuisse, quantam Plutarchus, vix est credendum. At vero de fontium genere, in quibus eiusmodi res invenire potuit, pauca tantummodo dici possunt. Quoniam Epaminondas Pythagoreorum doctrinis institutus erat et ab eo, cuius fortuna omnibus Pythagoreis curae fuerat[2], fieri potuit, ut in eorum litteris hac de re nonnulla inveniret. Non dubito, quin Plutarchus ab Aristoxeno Tarentino[3], cuius scriptis aliis quoque locis usus est, de Epaminondae Spinthariqne eius patris consuetudine certior factus sit (de gen. Socr. c. 23 p. 592f). Quoniam illum a patre etiam plura de hoc viro clarissimo audivisse et operibus suis memoriae prodidisse verisimile est[4], Plutarchum alia quoque ab eo cognovisse puto. Deinde haud dubie scripta quaedam exstabant, quibus separatim de Epaminonda agebatur et ad eum laudibus efferendum natura moresque eius, virtutes, ratio vivendi, aliae res describebantur. Ex eiusmodi opusculo Ciceronem Epaminondam cognovisse et ad tantam existimationem[5] adductum esse puto, quoniam primos fontes eum repetivisse vix probabile est. Ad eius generis auctores Cornelii Nepotis quoque vita revocanda est et ne Plutarchus quidem eos neglegere potuit. Denique etiam ex apophthegmatum collectionibus eum quaedam hausisse verisimile est, quibus in aliorum quoque vitis componendis nonnumquam testibus utitur[6].

---

[1] cf. Fr. Leo, Die griechisch-römische Biographie, p. 87.

[2] cf. de gen. Socr. c. 8 p. 579dsq., c. 13 p. 583asq.

[3] cf. R. Hirzel, l. c. p. 158 adnot. 2 (p. 161); W. Christ, Plutarchs Dialog vom Daimonion des Sokrates (S.-B. d. Münch. Ak. 1901), p. 103.

[4] Etiam Athenaeus ex Aristoxeno de Epaminonda aliquid tradit. cf. lib. IV p. 184e. Utrum uno libro res Epaminondae coniunctae an per omnia opera dispersa fuerint, non liquet.

[5] cf. Cic. de orat. III, 139; Tusc. I, 4.

[6] cf. Cat. Maior. c. 7, 2; 8, 3; 9, 7; Themist. c. 18, 1; Lycurg. c. 19, 3 etc. de garrul. c. 17 p. 510esq.; de vit. pud. c. 10 p. 532fsq.; coniug. praec. c. 48 p. 145e.

b) De auctoribus, qui ab his Plutarchi fontibus pendent.

Quibus dictis postquam exposuimus, quid de fontibus Plutarchi in Epaminonda iudicandum sit, transeamus ad auctores investigandos, qui ex eisdem vel similibus pendent. Ac primum quidem quaerendum est, apud quos auctores praeter Plutarchum Callisthenis vestigia invenire possimus. Inter historicos scriptores, qui Epaminondae aetatem continua oratione tractaverunt et quorum duo tantum aetatem tulerunt, necessario solus Diodorus nobis est spectandus, quoniam Xenophon ante Callisthenem scripsit. Quamquam antea, postquam Volquardsen[1] hac de re diligenter inquisivit, communiter constare videbatur illum in lib. XI—XV solum Ephorum secutum esse, hodie non iam ea coniectura tam confirmata putatur et imprimis in lib. XV, quo Epaminondae aetas describitur, non pauci aliorum auctorum vestigia indagare studuerunt. Cui rei praeter ceteros E. v. Stern in libris[2], quos iam saepius commemoravi, operam dedit et magnas partes[3] ad Callisthenis „Hellenica" revocare conatus est, quod tantum Boeotorum studium et tanta admiratio Epaminondae ex eis eluceret, ut solo ex Boeotio fonte deductae esse possint. Quod argumentum quantopere auctoritate careat, ex eis, quae supra (p. 30) dixi, apparet, quoniam Ephorus quoque res Epaminondae praedicare vehementer studebat. Singulatim hanc coniecturam percensere supersedeo, cum ea, quae Busolt et Grillnberger[4] explicaverunt, plane sufficere mihi videantur.

Aliter tamen res de eis capitibus se habet, quibus Pelopidae expeditiones in Thessaliam factae tractantur[5] et in quibus quanta consensio cum Plutarchi Pelop. c. 26—35 intercederet, iam

[1] Untersuchungen über die griechische und sizilische Geschichte bei Diodor XI—XVI, Kiel 1868; cf. etiam J. Pohler, Diodoros als Quelle zur Geschichte von Hellas etc. 379—362, diss. Lips. 1885.

[2] Gesch. d. spart. u. theb. Heg., 1884, p. 59 adn. 1, 144, 233; Xenophons Hellenika und die böotische Geschichtsüberlieferung, 1887, p. 42.

[3] c. 25, 3 — 27 quibus Cadmea a Thebanis oppugnata, c. 51—56 quibus pugna Leuctrica, c. 82—89 quibus pugna Mantinensis describitur. Praeter haec ea quoque, quibus res Thessalicae tractantur (c. 61. 67, 3sq., 71 [72], 80).

[4] Busolt, Philol. Anz. XVI, 1886, p. 326sq.; O. Grillnberger, Griechische Studien, Pr. Wilhering. 1905/6—1907/8, p. 82sq.

[5] cf. supra adn. 3.

dudum viri docti cognoverunt[1]. Quapropter Queck l. c.[1] p. 22sq. Plutarchum a fonte suo discessisse et has partes ex Ephoro sumpsisse putat. Sed quoniam Pelopidae vita a Cornelio Nepote conscripta hac quoque in parte (c. 5) adeo cum Plutarcho congruit, ut ad eosdem fontes eam revocandam esse nemo negare possit, neque omnino verisimile est, ut Busolt l. c. p. 333 recte monet, utrumque eodem loco ad alium auctorem transgressum esse et utrumque hoc loco eundem Ephorum adhibuisse, facilius est ad putandum Diodorum hic ex Plutarchi fonte, id est ex Callisthene, hausisse. Nihilo minus Grillnberger has quoque partes Ephoro tribuendas esse putat[2]. Non magis eas cum Plutarchi dictis consentire contendit, quam cetera Diodori capita et, quicumque accuratius hac de re inquirat, eum hic quoque multas rerum et verborum consensiones inventurum esse neque discrepantias deesse in Thessalicis rebus scribendis cogniturum. Itaque neque hic neque illic de eodem fonte cogitandum esse, sed similitudines omnes inde esse ortas, quod uterque, Ephorus et Plutarchus, a Boeotia memoria pependerit. Nec tamen ei assentiri possum, sed accurate inquirens in prioribus quidem partibus eam rationem inveni, ut, quamquam scriptores plerumque inter se discrepant[3], tamen singulis rebus interdum conveniant, in Thessalicis tamen rebus narrandis eam, ut locis, qui ceteroquin inter se plane congruunt, hic vel illic levior quaedam differentia nobis occurrat. Quod ad probandum primum conferatis locos illos Diodori et Plutarchi, quos Grillnberger composuit (l. c. p. 102)[4]:

Plut. Pelop.	Diodor.	Plut. Pelop.	Diodor.
c. 5, 1	XV, 20, 1	c. 15, 3 et 5	XV, 39, 1
c. 6, 4	XIV, 6, 3	c. 16—17	37, 1—2 [81, 2]
c. 13, 1	XV, 27, 1	c. 20, 1—2	53, 1—3
c. 13, 2	27, 3	c. 20, 4	54, 3
c. 14, 1—2	29, 5	[c. 23, 1	81, 2]
c. 15, 1	29, 6	[c. 24, 2	81, 2]
c. 15, 2	39, 1		

[1] Köhler, Attische Psephismen aus der ersten Hälfte des vierten Jahrh. II (Athen. Mitteil. II, 1877), p. 198 adnot. 1; G. Queck, Beiträge zur Quellenkunde Plutarchs I, p. 22, Pr. Stargard 1875.

[2] l. c. p. 101.

[3] cf. p. 31.

[4] Numeri paragraphorum nonnullis locis corrigendi erant; cap. 81 non Ephori esse puto; cf. p. 44.

At contra cum hic numquam latiores partes continenter inter se consentiant, sed, ubicumque similitudinem quandam animadvertimus, semper fere simul maiores vel minores discrepantiae nobis occurrant, prorsus aliter illic res se habet. Quae Diodorus in c. 67, 3—4 de prima Pelopidae expeditione Thessalica narrat, cum Plutarchi Pelop. c. 26 ita congruunt, quasi ex eo excerpta essent, praeterquam quod Diodorus scribit (§ 3): „*Βοιωτοὶ .... ἐξαπέστειλαν Πελοπίδαν .... δόντες ἐντολὰς αὐτῷ ἐς τὸ σύμφερον τῶν Βοιωτῶν διοικῆσαι τὰ κατὰ τὴν Θετταλίαν*“, Plutarchus autem (26, 4): *ἐπιδειξάμενος τοῖς Ἕλλησιν ὡς πόρρω διήκει τὰ Θηβαίων πράγματα τῇ δόξῃ τῆς δυνάμεως καὶ τῇ πίστει τῆς δικαιοσύνης.* Sed quis hanc discrepantiam non ipsi Plutarcho eiusque studio Pelopidae tribuat! — Similis ratio etiam intercedit inter Diodori c. 71 et Plutarchi c. 27—29. Quamquam Diodorus pleraque omittit et solam expeditionem illam male gestam, in qua Thebanorum exercitus ab Epaminonda servabatur, accuratius tractat, tamen, quae affert, eodem modo apud Plutarchum invenimus. Conferatis hos locos:

Diodor.	Plut. Pelop.	Diodor.	Plut. Pelop.
71, 1	27, 2	71, 3	28, 1
71, 2	27, 1, 5–6	71, 7	29, 1.

Id, ubi Grillnberger offendit, quod Plutarchus 29, 1 dicit boeotarchas illos „*δι' ἀπειρίαν ἢ δυστυχίαν*“ nihil profecisse, Diodorus autem expeditionem ita describit, quasi et rebus adversis et imperitia ducum praeter spem evenisset, nihil valet, quoniam Plutarchus ipse in „quaest. conviv.“ V, 6, 6 p. 680b de eadem re scribit: *εἴς τινα δυσχωρίαν τῶν στρατηγῶν ὑπ' ἀπειρίας εἰςβαλλόντων* ... — Ne id quidem concedere possum Plutarchum in scripti, quo quaeritur: „an seni sit ger. res publ.“, c. 27 p. 797a—b prorsus diversa ratione describere, quomodo Epaminondas exercitum ex difficultate illa rerum eduxerit atque Diodorum 71, 6. Quoniam Plutarchus hic neque, sicut Diodorus, omnia accuratissime explanare sibi proposuit neque diligenter auctorem exscripsit, sed exempli causa tantummodo, fortasse etiam ex memoria, rem obiter significavit, nihilominus uterque ab eodem auctore pendere potest. — Denique animum vertatis ad haec verba: Plut. Pelop. c. 26, 1: *ὁρῶν ὁ*

Πελοπίδας τὸν Ἐπαμεινώνδαν τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πράξεις διοικοῦντα αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπέδωκε καὶ προσένειμε τοῖς Θεσσαλοῖς, μήτε τὴν ἰδίαν ἐπιστήμην καὶ δύναμιν ἀργοῦσαν περιορᾶν ὑπομένων, μήτε ὅπου πάρεστιν Ἐπαμεινώνδας ἑτέρου δεῖσθαι στρατηγοῦ νομίζων. Diodor. XV, 71, 2: *Κατὰ δὲ τὴν Βοιωτίαν Πελοπίδας ἐφάμιλλος ὢν τῷ Ἐπαμεινώνδᾳ τῇ κατὰ πόλεμον δόξῃ, καὶ θεωρῶν ἐκεῖνον τὰ περὶ τὴν Πελοπόννησον συμφερόντως κατεσκευακότα τοῖς Βοιωτοῖς, ἔσπευδε τὰ ἐκτὸς Πελοποννήσου δι' ἑαυτοῦ προςάγεσθαι τοῖς Θηβαίοις* ... Quae, quamquam Plutarchus Pelopidae, ut eo magis eum praedicaret, honestiora quaedam consilia subdidit, ex eodem fonte fluxisse mihi videtur apparere. Quod Plutarchus primae expeditioni ea praeposuit, Diodorus autem secundae, nihil valet. Nam apud hunc quoque multo melius ad res prima expeditione gestas accommodata sunt[1]. Attamen cum hanc, quae vere simul cum Epaminondae prima invasione in Peloponnesum suscipiebatur, quasi ante eam factam narravisset, verba hoc loco collocare non potuit. — Etiam Diodori XV, 80 et Plutarchi Pelop. c. 31—33, quibus extrema Pelopidae expeditio eiusque mors describitur, ita inter se consentiunt, ut ex eodem fonte ea esse deducta putare cogamur. Quod facile intellegitur, si ex Diodori et Plutarchi locis ea verba, quae praecipue consentiunt, componuntur:

Diodor.	Plut. Pelop.
80, 1.	31, 1.
πρέσβεις ἀπέστειλαν πρὸς Θηβαίους, ἀξιοῦντες αὐτοῖς βοηθῆσαι καὶ στρατηγὸν αὐτοῖς ἐξαποστεῖλαι Πελοπίδαν.	*ἐπρέσβευον εἰς Θήβας αἰτούμεναι δύναμιν καὶ στρατηγὸν ἐκεῖνον* sc. *Πελοπίδαν.*
80, 2.	31, 2.
οἱ μὲν Βοιωτοὶ πάντα συνεχώρησαν τοῖς Θετταλοῖς, καὶ δόντες εἰς ἑπτακισχιλίους στρατιώτας ...	*ψηφισαμένων δὲ τῶν Θηβαίων προθύμως.* cf. § 3: *οὐδὲ ἀποκινδυνεύειν ἑπτακισχιλίοις πολίταις*
τοῦ δὲ Πελοπίδου ... *ἐξιόντος συνέβη τὸν ἥλιον ἐκλιπεῖν.*	... *τοῦ στρατηγοῦ περὶ ἔξοδον ὄντος, ὁ μὲν ἥλιος ἐξέλιπε.*

[1] Quoniam Pelopidas iterum in Thessaliam proficiscens non exercitum ducebat, sed legatus mittebatur (Plut. Pelop. 27, 1; Corn. Nep. Pelop. 5, 1; Paus. IX, 15, 1), hoc quidem loco dici non potuit: *Πελοπίδας ἐφάμιλλος ὢν τῷ Ἐπαμεινώνδᾳ τῇ κατὰ πόλεμον δόξῃ.* Etiam verba: *ἔσπευδε τὰ ἐκτὸς Πελοποννήσου δι' ἑαυτοῦ προςάγεσθαι* magis idonea sunt, quae eo loco collocentur, ubi Pelopidas primum Thessalicis rebus se admixturus erat.

80, 3.	31, 3.
τῶν μάντεών τινες ἀπεφήναντο . . .	*οὔτε τῶν μάντεων ἐώντων . . .*
καὶ διὰ τούτων τῶν λόγων προλεγόντων τὸν τοῦ Πελοπίδου θάνατον.	*μέγα γὰρ ἐδόκει καὶ πρὸς ἄνδρα λαμπρὸν ἐξ οὐρανοῦ γεγονέναι σημεῖον*
80, 4–5.	32, 1–7.
4. . . . *καὶ τὸν Ἀλέξανδρον κατέλαβε προκατειλημμένον τοὺς ὑπερδεξίους τόπους . . .*	3. *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἔφθη τοὺς λόφους καταλαβών . . .*
5. *τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου διὰ τὰς ὑπεροχὰς τῶν τόπων πλεονεκτοῦντος . . . .*	
4. *προςλαβόμενος δὲ συμμάχους παρὰ τῶν Θετταλῶν.*	1. . . . *εἰς Φάρσαλον ἐλθὼν ἤθροισε τὴν δύναμιν . . . . . ⟨Ἀλέξανδρος⟩ Θηβαίους μὲν ὀλίγους περὶ τὸν Πελοπίδαν ὁρῶν, αὐτὸς δὲ πλείους ἔχων ἢ διπλασίους ὁπλίτας τῶν Θεσσαλῶν*

Quod alter hic, alter illic paulo plura profert vel accuratius res describit (cf. Diod. 80, 2 *κοινὴ σύνοδος τῶν Βοιωτῶν*, Plut. 31, 2 *Θηβαῖοι*) necessario ab hac sententia nos abducere non potest. Gravior discrepantia una tantum exstat. Nam cum Plutarchus c. 31, 2/3 Pelopidam exercitum portento perterritum domi reliquisse et solo cum equitatu profectum esse memoriae tradat, Diodorus eum nihilo minus totum exercitum ducentem fingere videtur. Neque tamen, praeterquam quod hoc non tam clare dicitur, ea de causa erat cogitandum de alia memoria vel auctore, sed errore quodam sine dubio ille lapsus est, quem non fuisse diligentissimum nemo nescit. Si in 80, 3 ante verba *οὐδὲν ἧττον ὁ Πελοπίδας ἀνέζευξεν* . . . paucis significatum esset Pelopidam peditatum domi reliquisse, nihil esset, ubi offenderemus.

Quibus expositis Diodori c. 67, 71, 80 eidem auctori, quo Plutarchus usus est, qui est Callisthenes, tribuere non dubito. Ex eodem fortasse etiam c. 61 fluxit, quo item res Thessalicae tractantur. Idem iudicandum est de c. 72, 1—3, quibus, cum in praecedente capite Epaminondam inter gregarios milites bello interfuisse (71, 6) commemoratum esset, additur, quomodo hoc fieri potuerit. Utrumque ex eodem scriptore sumptum esse valde verisimile est. Etiam c. 81, quae est Pelopidae laudatio, ab Ephoro mihi videtur abiudicandum, quamvis Grillnberger l. c. p. 87sq. hanc sententiam refellere studuerit. Discrepantiae, quae

exstant inter hanc et ceteras Diodori partes[1], non tam leves sunt, ut ille putat, neque facile tolli possunt, atque ne id quidem neglegendum est, quantopere laudatio plerisque rebus cum Plutarcho et Cornelio Nepote consentiat. Utrum Diodorus eam apud auctorem suum, Callisthenem, iam invenerit, an ipse ex eius opere collegerit[2], an ex libro quodam, quo agebatur de viris illustribus, sumpserit[3], nihil valet in nostra quaestione.

Nec tamen Adolpho Bauer assentiri possum, qui Diodorum ad secundam impressionem Epaminondae Spartam factam explicandam (XV, 82, 5 — 83) Callisthenem, quasi fuisset scriptor Lacedaemoniorum studiosus, adhibuisse posse putat[4]; neque enim de Ephoro Thebanorum studioso hic cogitandum esse, quod non Epaminondae impetus magna cum audacia factus, sed Agesilai egregia defensio maxime spectetur. At vero primam huius loci partem (82, 5 — 83, 1), quae sit vitiorum plena, Diodorum ipsum ex memoria, omnibus permixtis, quae hac de re legerit[5], composuisse docet, sola cetera (83, 2—5), quibus de ipsa defensione agatur et quae cum Aeneae (*Τακτικὸν ὑπόμνημα*) II, 2 perquam consentiant, ex auctore fide digno sumpta esse; quem, quoniam hic Epaminondas in urbem omnino invadere non possit, quod a Xenophonte concedatur (VII, 5, 11—12), etiam magis quam illum Lacedaemoniis favisse; cum Theopompum usque ad hoc tempus res non tractavisse constet, de Callisthene[6] cogitari posse. Nunc vero quod Diodorus hic plura de defensione quam de impetu dicit, ab Ephoro auctore abhorrere mihi non videtur, quoniam vere maiore

---

[1] cf. G. Queck, Beiträge zur Quellenkunde Plutarchs, I p. 16 (Progr. Stargard); O. Bröcker, Untersuchungen über Diodor, Gütersloh 1879, p. 35; Pohler, Diodor als Quelle zur Geschichte von Hellas, p. 83.

[2] cf. Pohler l. c. 81.

[3] cf. E. v. Stern, G. d. sp. u. th. Heg., p. 221 adn. 1.

[4] Der zweimalige Angriff des Epaminondas auf Sparta, Hist. Zeitschr. 65, 1890, p. 256—257; 263.

[5] Xenophontem in hoc numero fuisse ex verbis *τὴν δὲ τύχην ἔσχεν ἀντιπράττουσαν* (c. 82, 6) apparere putat. Sed meo iudicio Epaminondam in hac expeditione bellica fortuna non prospere usum esse minime tam singularis sententia est, quam non plures ultro protulisse possint. Quin etiam multo magis eis ita iudicandum erat, qui Thebanis studebant, quoniam illis imprimis demonstrare opus erat, qua de causa hanc cladem Epaminondae in culpam convertere non liceret.

[6] Qua de causa Callisthenem magis Lacedaemoniis quam Boeotis favisse putare non cogamur, supra p. 38 explicavi.

laude dignum est perpaucis hominibus urbem paene immunitam a magno fortique exercitu defendere, quam hoc exercitu eiusmodi urbem aggredi, et ne ii quidem scriptores, qui Boeotorum partium erant, facere poterant, quin hanc ob rem Lacedaemonios admirarentur. Conferatis etiam, quanto studio in primo impetu narrando fortitudo Ischolai praedicetur (XV, 64, 3—4). — Deinde nihilo minus Xenophontis narratio multo magis Lacedaemoniorum studiosa esse mihi videtur quam Diodori. Ille enim, etiamsi Epaminondam in urbem, quae fuerit immunita et defensoribus fere nudata, invasisse concedit, tamen paulo post exigua manu centum tantum virorum, quamvis numero praevaluerit, eum eiectum esse tradit. cf. VII, 5, 12. At contra apud Diodorum (83, 4) Thebanorum virtus praedicatur, qui, quamquam aditus bene munitos et praesidiis occupatos invenerint, quamvis locus eis fuerit iniquus, tamen ab omnibus partibus fortiter impetus fecerint neque prius ab oppugnatione destiterint, quam totus Lacedaemoniorum Arcadumque exercitus accessisset. — Tum ne id quidem Bauer recte exposuit Diodori locum in duas partes esse distrahendum. Qui diligentius eum perlegerit, eum effugere non poterit per totam Diodori narrationem id imprimis multum valere, quod totus Lacedaemoniorum et Arcadum exercitus[1] ex Arcadia in Laconicam auxilio venit, quae res apud Xenophontem non clare exprimitur (cf. VII, 5, 14). In c. 82, 5 legimus: ... *Λακεδαιμόνιοι ... ἐστράτευσαν εἰς τὴν Ἀρκαδίαν ...... Λακεδαιμόνιοι πανδημεὶ πορθοῦσι τὴν τῶν Τεγεατῶν χώραν.* In c. 82, 6 Lacedaemoniorum rex[2] se quam celerrime cum hoc exercitu Spartam contenturum esse pollicetur: *αὐτὸς δ' ὡς ἂν τάχιστα δύναιτο μετὰ τῆς δυνάμεως ἥξει βοηθήσων τῇ πατρίδι.* In c. 83, 5 Epaminondas ab obsidione destitisse dicitur, quod hic exercitus advenisset: ... *οὐκ ἀπέστη ... ἕως τὸ στράτευμα τῶν Λακεδαιμονίων ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Σπάρτην.* ... Quibus consideratis negari non potest totam Diodori narrationem bene inter se cohaerere neque dubium mihi videtur, quin ex uno auctore sumpta sit. — Nunc vero eadem re non modo suis partibus bene cohaeret, sed etiam cum sequentibus verbis con-

---

[1] Ex eo, quod postea (84, 1) Mantinenses quoque cum Lacedaemoniis in Laconicam venisse audimus, apparet totum exercitum, qui apud Mantineam erat coactus, Spartam auxilio profectum esse. cf. etiam Xen. Hell. VII, 5, 14.

[2] Cuius errore nomen Agis (c. 82, 6) nobis traditum sit, non liquet. cf. Bauer, l. c. p. 257 adn. 1.

iuncta est. Nam impetus quoque ille ab Epaminonda contra Mantineam susceptus, qui c. 84, 1—2 describi incipitur, secundum Diodorum eo efficiebatur, quod totus hostium exercitus Spartam auxilio concurrerat, Arcadia autem et Mantinea ab omnibus copiis vacuae erant. Quoniam hic Ephorum auctorem fuisse fragmento 146a (F. H. G. I, p. 273)[1] confirmatur, eidem etiam c. 82, 5 — 83 tribuere possumus, praesertim cum propter Lacedaemoniorum studium hunc locum ab eo non esse abiudicandum supra exposuerim.

Neque tamen soli ii Diodori operis loci, quibus Callisthenis vim cognovimus, nobis sunt spectandi, sed etiam ceterae partes, quibus Ephorus auctor erat, usui cuidam esse possunt, non tam, quod Plutarchum hunc non plane neglexisse verisimile est, quam, quod ex eadem Boeotia traditione quodammodo pendebat. At vero quoniam hanc eum perquam commutavisse, ne dicam corrupisse, supra intelleximus, summa cautione opus esse apparet.

Praeter Diodorum Polyaenus commemorandus est, qui Melberi quidem coniectura[2] strategemata quaedam Epaminondae (II, 3) ex Callisthene sumpsisse dicitur. Disiungit enim ille, sicut in ceterorum virorum, etiam in Epaminondae strategematis duo genera, quorum alterum ex apophthegmatum collectione vel simili quodam fonte fluxerit, cuius sint 1—7 et 15, alterum ex scriptoribus vere historicis, et argumentis nonnullis allatis tribuit § 8—11 Callistheni, 12—14 Ephoro. Sed illa argumenta tam levia incertaque sunt, quibus nihil probari possit, qua de causa illae narratiunculae neglegendae nobis sunt. — Si quid ceteri scriptores[3] de Epaminondae aetate ex Callisthenis opere servavisse videntur, postea suo loco tractabitur.

Inter scriptores, qui, quae de Epaminonda tradunt, non ex vere historicis libris deprompserunt, prima Epaminondae vita a Cornelio Nepote[4] conscripta commemoranda est. Quae quamquam non tam vitae descriptio fide digna est quam infida laudatio a rhetore quodam Graeco translata[5], quod graece dicitur *ἐγκώμιον*, tamen, cum praeter eam alia non exstet, multum valet in Epa-

---

[1] cf. Grillnberger l. c. 86.

[2] Über die Quellen und den Wert der Strategemensammlung des Polyän. Jahrb. f. kl. Phil., Suppl. XIV, p. 545.

[3] Imprimis Polybius respiciendus est; cf. alterius partis II, 6.

[4] cf. Fr. Leo, Die griechisch-römische Biographie, p. 193 sq.

[5] Ibid. p. 207 sq.; Lippelt, Quaestiones biographicae. Diss., Bonn 1889, p. 41.

minonda tractando. Etiam in nostra quaestione diligentissime inspicienda est, praesertim cum multis rebus ita cum Plutarcho consentiat, ut nesciam, an quis illum fonte ea usum esse putet. Neque tamen hoc concedi potest. Nam quamquam interdum in Romanorum quorundam vitis scribendis Plutarchus ex Cornelii Nepotis opusculis fructum cepisse[1] negari non potest, tamen in Graecorum meliores fontes ei in manibus erant. Sed etsi non eo ipso usus est, tamen ex iisdem vel similibus auctoribus utrumque hausisse oportet, quam ob rem cautione quadam non omissa nihilo minus in Plutarchi opere restituendo magno usui nobis est. Denique ii quoque non numquam inspiciendi sunt, qui ex eisdem collectionibus atque Plutarchus apophthegmata Epaminondae narratiunculasque memoriae tradunt, imprimis Polyaenus et Aelianus, quos iam supra commemoravi[2]. Sed quoniam Plutarchus ipse huius generis satis proponere mihi videtur neque certe scimus, an omiserit, quae illi praebent, item parvam utilitatem afferunt.

Quibus ex omnibus fontibus, ex Plutarchi ipsius scriptis, ex auctoribus, qui aut ipso Plutarchi opere usi sunt aut ex eisdem scriptoribus hauserunt atque ille, materiam ad vitam Epaminondae restituendam depromere possumus. At vero cum non omnibus de rebus certi aliquid ex eis cognoscimus, non raro ad Xenophontem nobis erit confugiendum, quamvis Lacedaemoniis faveat, atque saepe plus minusve certis coniecturis contenti esse cogemur.

II. De ratione, qua materia disponenda et distribuenda sit.

Quibus dictis postquam exposui, unde materiam ad vitam Epaminondae restituendam sumere possimus, nonnullis verbis significare mihi liceat, quibus legibus haec disponenda et ordinanda sit. Qua in re ea norma atque ratio nobis spectanda est, quam Plutarchus in vitis componendis sequi solebat et quae quomodo se haberet, Fr. Leo libri laudati p. 178sq. egregie exposuit. Ut antea iam dixi[3], Peripateticorum rationem ille imitatus est, qui historicorum more res gestas deinceps narrare solebant. Nec

[1] cf. A. Guderman, A new source in Plutarchs Life of Cicero (Transactions of the Americ. phil. soc. XX, 139sq.); Soltau, Jahrb. f. kl. Phil. 153 (1896), p. 123, 357.

[2] cf. p. 28 et 47.

[3] cf. p. 17.

tamen imprimis id agebat, ut memoriae eas traderet, sed ut mores atque indoles virorum illustrium ex eorum factis cognoscerentur. Itaque quamquam plerumque ordinem rerum gestarum tenet, tamen temporibus accurate describendis operam dare non solet et rarissime ab eo cognoscimus, quo anno aliquid factum sit aut quantum temporis spatium inter singulas res transierit. Ne omnia quidem, quae tempore quodam inciderunt, sed ea sola explicat, quae ad ipsum pertinent, cuius vitam tractat. Eadem de causa tantam copiam narratiuncularum et apophthegmatum in eius operibus admixtam invenimus, ex quibus saepius multo clarius quam ex magnis illustrissimisque factis naturam vel, quod dicitur ἦθος, elucere putet[1]. Ipsam narrationem rerum gestarum Plutarchus ab eo tempore incipere solet, quo quisque primum in re publica versatus est, quo ex loco usque ad mortem uno tenore perducitur. In prima vita non ordine narratur, sed genere ortuque commemoratis in universum nonnulla de natura moribusque, de ratione vivendi, de aliis rebus praemitti solent. Hae partes Fr. Leone auctore[2] distingui possunt: a) de genere, de maioribus, de parentibus, de ortu (*γένος*); b) de corporis facieique forma (*εἶδος, ἰδέα τοῦ προςώπου, σῶμα*); c) de natura moribusque (*ἦθος, τρόπος, φύσις*); d) de consuetudine victus (*δίαιτα*); e) de educatione (*παιδεία*); f) de eloquentia (*λόγος*); g) de familia; h) de rebus iam ab adulescente gestis. — Sed cum neque omnes has partes in omnibus vitis exstare necesse sit neque semper idem ordo teneatur, omnino fieri non posse puto, ut pro certo cognoscamus, quomodo res in Epaminonda se habuerit. Itaque materia ex fontibus supra commemoratis conquisita solum componere mihi liceat, quae Plutarchum in prima vitae parte protulisse verisimile sit. Neque enim frustra operam dederim, ut eundem ordinem restituerem, quem ille secutus est. — Extrema vitarum parte, ut Leo exponit[3], rebus gestis usque ad mortem narratis, nonnulla de sepultura, de honoribus, qui cuique post mortem tributi sint, de liberis atque progenie adiungi solent. Saepenumero quoque de interfectorum vel proditorum vel accusatorum sorte aliquid profertur, qua parte, ubicumque exstat, semper tota vita concluditur. Interdum epilogus quidam invenitur, quo summatim

[1] cf. Alexandri vit. c. 1, 2.

[2] l. c. p. 180.

[3] l. c. p. 182.

iudicium de auctoritate viri tractati comprehenditur. — Haec sunt, quae paucis verbis de forma vitarum Plutarchearum et de disponendi ratione in Epaminondae vita restituenda exponenda mihi esse videbantur.

III. De iudicio, quod in universum Plutarchus de Epaminonda fecerit.

Sed priusquam ad ipsum nostrum propositum transgredi licet, ut iam supra dixi, accuratius inquirere opus est, quomodo Plutarchus in universum de Epaminonda iudicaverit, quia hac de re viri docti non plane consentiunt. Nam cum prius communiter opinio esset Plutarchum illum omnibus pluris aestimavisse et non modo eius virtutem et continentiam sed etiam rerum publicarum scientiam atque imperatorias artes summis laudibus extulisse, Ad. Bauer in disputatione, quam supra commemoravi[1], hoc negat. „Wir dürfen“, inquit, „... annehmen, daß wir ... aus der verlorenen Epaminondasvita Plutarchs mehr über die Freundschaft des Mannes mit Pelopidas, über seine Unbestechlichkeit und dgl. erfahren würden, als über seine Bedeutung als Feldherr“ (p. 267). Conferatis etiam eiusdem paginae adnot. 1: „...... so ist auch fraglich, ob der Preis des Epaminondas in ihr ⟨der Vita⟩ so stark zum Ausdruck kam, wie man von Plutarch als Böoter erwarten sollte“. Quamvis mira ipsa haec sententia sit, tamen etiam magis hoc de ratione dicendum est, qua eam probare conatus est. Ex eo, quod omnes fere auctores, qui impetus Epaminondae ad Spartam factos describunt, magis Agesilai consilium et Lacedaemoniorum fortitudinem praedicent, colligendum esse putat (p. 264 adn. 1, p. 267sq.) Thebanam memoriam, etsi exstiterit, tamen paulo post Thebas ab Alexandro deletas auctoritate scriptorum Atheniensibus et Lacedaemoniis faventium oppressam esse. Itaque etiam Plutarcho in vitis Thebanorum clarissimorum auctores eorum hostium studiosos adhibendos fuisse. Nunc vero iam supra (p. 45) exposui, cur non mirum esset, quod scriptores plura de Lacedaemoniorum defensione quam de Thebanorum impetu tradunt, qua propter hanc ob causam de Boeotia traditione non dubitandum est. Deinde etiamsi hoc validum esset argumentum, tamen in Plutarchi „Epaminonda“ eodem modo rem

[1] **Der zweimalige Angriff auf Sparta. Hist. Ztschr. 65, 1890, p. 240sq.**

descriptam esse nullo modo demonstrari potest, quoniam in „Pelopida“ obiter perstringitur, ex illa autem nihil traditum est, nisi tria Pausaniae verba (IX, 14, 3). Quod hic, sicut Theopompus (cf. Plut. Ages. 31, 3), Agesilaum suos urbe continuisse et pugnam detrectavisse dicit, cui rei Bauer permultum tribuit (l. c. p. 251, cf. etiam p. 246), non tam mira consensio esse mihi videtur, ut putare cogamur Plutarchum in Epaminondae vita illum Agesilai admiratorem (Ages. 10, 5), Epaminondae obtrectatorem (32, 8) secutum esse, quoniam rex tantis hostium copiis accedentibus aliud quidquam omnino non facere potuit. Quicumque accuratius de Epaminondae impressione illa agebat, ei hoc quoque quodammodo erat commemorandum neque deest in Xenophontis narratione. cf. VI, 5, 28: *Οἱ δὲ Σπαρτιᾶται ἀτείχιστον ἔχοντες τὴν πόλιν, ἄλλος ἄλλῃ διαταχθείς, μάλα ὀλίγοι καὶ ὄντες καὶ φαινόμενοι ἐφύλαττον.* At vero nihilo minus concedamus Plutarchum ad impetum quidem describendum in Epaminondae et Pelopidae[1] vitis Theopompum adhibuisse, quid hac ex re de ceteris partibus colligendum est? Nonne supra intelleximus, quantum et ipsius Pelopidae et omnino Thebanorum studium in eius vita exstaret, quanta omnium intestinarum quoque rerum Boeotiarum scientia? Quodsi Boeotia memoria et scriptores Thebanorum studiosi exstabant, Plutarchum in „Epaminonda“ eos minus secutum esse quam in „Pelopida“, quis dicat[2]!

Quibus expositis postquam in universum Baueri sententiam confutavimus, quaeramus, num contraria ipsius Plutarchi verbis confirmetur. Id nimirum concedendum est Plutarchum, quem in virorum illustrium vitis iudicium imprimis ad mores eorum rettulisse nemo nescit, praecipue Epaminondae honestatem, continentiam, integritatem morum, alias eiusmodi virtutes humanas admiratum esse[3],

[1] Ne id quidem tam certum est in Ages. vit. c. 31—32 solum Theopompum fontem fuisse, quamquam eius testimonium bis commemoratur (31, 3; 32, 8). Nam, ut supra exposui (p. 12sq.), Plutarchus non raro ex Epaminondae vita antea scripta in hanc vitam aliquid inseruit, imprimis eis locis, ubi de Epaminonda agendum erat. Idem hic quoque factum esse facile est ad credendum.

[2] Conferatis hac de re etiam Swoboda PWRE. V (Epaminondas), p. 2703.

[3] cf. Pelop. vit. 26, 5, ubi, postquam Philippum Macedonem Epaminondam in imperatoriis quidem artibus imitatum esse commemoratum est, haec dicuntur: ... *ὃ μικρὸν ἦν τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἀρετῆς μόριον· ἐγκρατείας δὲ καὶ δικαιοσύνης καὶ μεγαλοψυχίας καὶ πραότητος, οἷς ἦν ἀληθῶς μέγας ἐκεῖνος, οὐδὲν οὔτε φύσει Φίλιππος οὔτε μιμήσει μετέσχεν.*

quibus praeter omnes Graecos floruisse ei videbatur[1], propter quas in dialogi „de gen. Socr.“ c. 16 p. 585d magnum eum appellat et scripti, quod „quomodo quis suos in virtute sentiat profectus“ inscribitur, c. 15 p. 85a, ut Epaminondae mores nobis imitandos proponamus, monet. Attamen ea de causa Plutarchum summam Epaminondae scientiam et militarium et publicarum rerum neglexisse vel parvi aestimavisse prorsus non putandum est. Nam quod nullo eius operum loco uberius de ea agitur, non tam mirum est, quoniam ipsa eius vita, qua hoc fieri oportebat atque meo quidem iudicio haud dubie factum est, aetatem non tulit. Nihilo minus etiam in ceteris scriptis nobis servatis satis multi loci exstant, quibus imperatoriae quoque virtutes Epaminondae praedicantur et sive diserte dicitur sive significatur, quantopere illis temporibus scientia militari praeter ceteros floruerit, quod facile exemplis probari potest.

Primum tamen de eo loco agendum est, quo Ad. Bauer l. c. p. 267 Plutarchum Timoleontis scientiam militarem Epaminondae praeponere putat (Timol. 36, 1–2): „Es muß gleichwohl auffallen“, inquit, „daß der Böoter Plutarch durch die ganz ausnehmende Begeisterung für den Tugendbold ohne Fehl und Tadel, Timoleon, sich sogar zu der Behauptung hinreißen läßt: Im Vergleich zur Strategie dieses Mannes habe jene des Epaminondas etwas Gequältes“. Sed videtur mihi sententiam huius loci non recte interpretari, in quo haec fere exponuntur: Sicut Antimachi Colophonii versus Dionysiique picturae, quamvis vim quandam et nervos in se habeant, tamen multo labore factae et quasi vi expressae videantur, Nicomachi autem tabulis et Homeri carminibus praeter reliquam gratiam et vim hoc quoque insit, ut prompte et nulla cum difficultate effecta videantur, ita, cum Epaminondae Agesilaique res militia gestae multo labore ac periculis confectae sint, Timoleontis praeclara facta perfacile perpetrata esse videri, quamquam non fortunae sed potius fortunatae fortitudini ascribi possint. Quoniam si poemata aliave artis opera multo labore facta appellantur, ingenium artificis vituperatur, nec tamen imperatoris cuiusdam indoles scientiaque, si idem de militaribus eius factis dicitur, sed rebus adversis periculisque obstantibus hoc tribuitur, non apta est haec comparatio atque apparet nobis sola ad Antimachi Dionysiique opera illud Baueri „etwas Gequältes“

[1] cf. Arat. c. 19, 2.

referre licere neque arte bellica Timoleontem Epaminondam superavisse dici, sed prospera fortuna, quod, qui utriusque vitam cognovit, negare non potest.

Multo clarius tamen aliis locis Plutarchus sententiam dicit et significat se non ignoravisse, quantopere Epaminondas non modo inter aequales sed inter omnes Graecos imperatoria arte eminuisset.

Primum conferatis „de latenter viv.“ c. 3 p. 1128f.: *Καὶ μὴν εἴ γε τοῖς χρηστοῖς λανθάνειν καὶ ἀγνοεῖσθαι παραινεῖς, Ἐπαμεινώνδᾳ λέγεις „μὴ στρατήγει“ καὶ Λυκούργῳ „μὴ νομοθέτει“ καὶ Θρασυβούλῳ „μὴ τυραννοκτόνει“ καὶ Πυθαγόρᾳ „μὴ παίδευε“ καὶ Σωκράτει „μὴ διαλέγου“*, quibus, quod maxime proprium Epaminondae fuerit, quo imprimis praeter ceteros floruerit, imperatoria ars et scientia militaris fuisse dicitur, et Ages. vit. 27, 4: *Ὧν* (sc. *τῶν πρέσβεων*) *εἷς ἦν Ἐπαμεινώνδας, ἀνὴρ ἔνδοξος ἐπὶ παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ, στρατηγίας δὲ πεῖραν οὔπω δεδωκώς*, quibus in Graecorum concilio ante pugnam Leuctricam describendo Epaminondas inducitur et quibus quasi omnibus notissimum significatur, quam praeclaram indolem ad bellum administrandum paulo post in Lacedaemoniis devincendis praestiterit. — In Pelop. c. 26, 1, ubi explicatur, quid Pelopidam ad Thessalicis rebus se tradendum impulerit, haec legimus: *Ὁρῶν ὁ Πελοπίδας τὸν Ἐπαμεινώνδαν τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πράξεις διοικοῦντα, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπέδωκε καὶ προσένειμε τοῖς Θετταλοῖς, μήτε τὴν ἰδίαν ἐπιστήμην καὶ δύναμιν ἀργοῦσαν περιορᾶν ὑπομένων, μήτε ὅπου πάρεστιν Ἐπαμεινώνδας ἑτέρου δεῖσθαι στρατηγοῦ νομίζων.* Num cuiquam imperatori maior laus tribui potest? — Deinde conferatis quaeso, quae Plutarchus in Pelopidae vita et alibi de expeditionibus illis contra Alexandrum Pheraeorum tyrannum ad Pelopidam captivum liberandum susceptis dicit. Quarum prima, cui Epaminondas gregarius miles interesse cogebatur, in disputationis „an seni sit gerenda res publica“ inscriptae c. 27 p. 797a his verbis narrari incipitur: *Ἐπαμεινώνδας δὲ πολλὰ μὲν καὶ μεγάλα κατώρθωσε στρατηγῶν, οὐκ ἔλαττον δ' αὐτοῦ μνημονεύεται μηδὲ στρατηγοῦντος μηδ' ἄρχοντος ἔργον περὶ Θετταλίαν* . . ., quibus dictis explicatur, quemadmodum exercitus, postquam inertia atque imperitia ducum in ultimum periculum pervenerit, sola Epaminondae scientia atque arte imperatoria servatus sit. Deinde, cum Thebani duce Epaminonda denuo contra Alexandrum exercitum misissent, sola illius

gloria Thessalorum animos redintegratos, Alexandrum autem et sectatores eius illo accedente tanto timore captos esse praedicatur, ut ultro tyrannus Pelopidam Ismeniamque captivos traderet. cf. Pelop. c. 29, 1/2: . . . *'Επαμεινώνδαν δὲ μετὰ δυνάμεως ἀπέστειλεν. εὐθὺς οὖν κίνησίς τις μεγάλη Θετταλῶν ἦν ἐπαιρομένων πρὸς τὴν δόξαν τοῦ στρατηγοῦ, καὶ τὰ πράγματα τοῦ τυράννου ῥοπῆς ἐδεῖτο μικρᾶς ἀπολωλέναι· τοσοῦτος ἐνεπεπτώκει φόβος τοῖς περὶ αὐτὸν ἡγεμόσι καὶ φίλοις, τοσαύτη δὲ τοὺς ὑπηκόους ὁρμὴ πρὸς ἀπόστασιν εἶχε καὶ χαρὰ τοῦ μέλλοντος, ὡς νῦν ἐποψομένους δίκην διδόντα τὸν τύραννον,* et postea c. 29, 6: *οὗτος μέντοι τὴν δόξαν αὐτὴν καὶ τοὔνομα καὶ τὸ πρόσχημα τῆς 'Επαμεινώνδου στρατηγίας καταπλαγεὶς*

ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλος ὣς κλίνας πτερόν,

καὶ τοὺς ἀπολογησομένους ταχὺ πρὸς αὐτὸν ἔπεμπεν.

Denique ne id quidem recte Bauer dicit Plutarchum peculiarem illam aciei instruendae rationem, quae *λοξὴ φάλαγξ* appellatur, qua primus Epaminondas usus est, nusquam alibi nisi in Pelop. c. 23, 1 obiter commemorare, quoniam „quaest. Roman." c. 78 p. 282e clare ostendit se intellexisse, quanta vi ad hostes devincendos illa fuisset. Verba illa sunt: *Καὶ γὰρ Θηβαῖοι τῷ ἀριστερῷ κέρατι τρεψάμενοι τοὺς πολεμίους καὶ κρατήσαντες ἐν Λεύκτροις, διετέλεσαν ἐν πάσαις ταῖς μάχαις τῷ ἀριστερῷ τὴν ἡγεμονίαν ἀποδιδόντες.*

Cum his locis etiam, quibus Epaminondae eiusque virtutis militaris obiter tantummodo mentio fit, tanta laus ei tribuatur, quis dubitet, quin in vita ipsa multo magis etiam praedicatus sit!

Sed non modo imperatoriam artem, sed etiam rerum publicarum scientiam Epaminondae magni Plutarchus aestimabat, quoniam secundum Platonem eum civitatis optimum rectorem atque gubernatorem esse putabat, qui cum civili prudentia philosophiae studia coniungeret. Qua de re in scripto „de liberis educandis"[1] haec dicit (c. 10 p. 8a sq.): *τελείους δ' ἀνθρώπους ἡγοῦμαι τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μῖξαι καὶ κεράσαι τῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ δυεῖν ὄντοιν μεγίστοιν ἀγαθοῖν ἐπηβόλους ὑπάρχειν ὑπολαμβάνω,*

[1] Wyttenbach (edit. Plut. Moral. VI = animadvers. I, 1 p. 29—64), Volkmann (Leben, Schriften u. Philos. d. Plut., I p. 180), Weissenberger (Die Sprache Plutarchs, Dissert., Würzburg 1895, p. 42) hoc scriptum spurium esse studuerunt demonstrare. Neque tamen ad rem certe probandam argumenta sufficiunt. Plutarchum autem de philosophia ad administrandam rem publicam adhibenda non secus iudicavisse ex scriptis ad rem publicam pertinentibus clare apparet.

τοῦ τε κοινωφελοῦς βίου πολιτευομένους, τοῦ τ' ἀκύμονος καὶ γαληνοῦ, διατρίβοντας περὶ φιλοσοφίαν. τριῶν γὰρ ὄντων βίων ὧν ὁ μέν ἐστι πρακτικὸς ὁ δὲ θεωρητικὸς ὁ δ' ἀπολαυστικός, ὁ μὲν ἔκλυτος καὶ δοῦλος τῶν ἡδονῶν ζῳώδης καὶ μικροπρεπής ἐστιν, ὁ δὲ θεωρητικὸς τοῦ πρακτικοῦ διαμαρτάνων ἀνωφελής, ὁ δὲ πρακτικὸς ἀμοιρήσας φιλοσοφίας ἄμουσος καὶ πλημμελής. πειρατέον οὖν εἰς δύναμιν καὶ τὰ κοινὰ πράττειν καὶ τῆς φιλοσοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι κατὰ τὸ παρεῖκον τῶν καιρῶν. οὕτως ἐπολιτεύσατο Περικλῆς, οὕτως 'Αρχύτας ὁ Ταραντῖνος, οὕτω Δίων ὁ Συρακόσιος, οὕτως 'Επαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος, ὧν ἅτερος Πλάτωνος ἐγένετο συνουσιαστής. Sine dubio etiam in vita interdum significabatur, quantopere Epaminondas philosophiae studiis ad rem publicam quoque administrandam accomodatus fuisset.

Sed nondum tota quaestio de iudicio Plutarchi absoluta est. Neque enim plane in propatulo est, quam rationem inter Epaminondam Pelopidamque eius amicissimum intercessisse putaverit, quorum quanti utrumque aestimaverit ex Pelopidae vitae c. 4 apparet:

"Ησαν δὲ καὶ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν πεφυκότες ὁμοίως,

. . . .

Quin etiam exstant loci quidam, ex quibus nescio an quis colligere possit eum Pelopidam maiora virtute imperatoria effecisse quam Epaminondam putavisse. In Pelop. vit. c. 24, 2 et in comparat. Marc. et Pelop. c. 2, 1 Pelopidas laudibus effertur, quasi solus cum exercitu milium septuaginta hominum in Laconicam invaserit, Eurotam transgressus Spartam paene expugnaverit, totam terram vastaverit, et cum in vit. c. 23, 4 ob victoriam apud Leuctra partam utrumque pari laude impertiat, in comparatione soli Pelopidae hoc quasi meritum tribuitur (c. 1, 3, 4). Denique legimus in vitae c. 30, 2 haec: *Οὗτος* (Pelopidas) *ἀνήρ ἐστιν ὁ γῆς καὶ θαλάττης ἐκβαλὼν Λακεδαιμονίους καὶ συστείλας ὑπὸ τὸν Ταΰγετον καὶ τὸν Εὐρώταν τὴν Σπάρτην τὴν ὀλίγον ἔμπροσθεν βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ καὶ Πέρσαις δι' 'Αγησιλάου τὸν περὶ Σούσων καὶ 'Εκβατάνων ἐπαραμένην πόλεμον*[1].

Sed ex eisdem scriptis demonstrare possumus hanc non veram sententiam Plutarchi fuisse. Nam si comparationis locos accuratius

[1] Huc non mihi videtur spectare Pelop. 2, 6: . . . ⟨*Πελοπίδας*⟩ *γῆς καὶ θαλάττης ἄρχοντας Λακεδαιμονίους ἐκ παρατάξεως νικήσας* . . ., quibus verbis meo iudicio non Leuctrica pugna sed proelium Tegyreum significatur. Quod ad probandum conferatis Pelop. c. 15, 5 — 16, 1; 17, 5/6 et imprimis Agesil. c. 27, 3.

spectamus, statim elucet iudicium, quod hic de Pelopidae rebus gestis fit, serviliter fere, ut ita dicam, solummodo ab eius vita pendere. Cum in Leuctrica pugna describenda (c. 23) nihil fere exponatur nisi, quid Pelopidas ad Lacedaemonios vincendos contulerit, Epaminondae merita autem vix commemorentur, in comparatione Pelopidas solus hostes in fugam coniecisse dicitur (aliis locis hanc victoriam Epaminondae esse clare exprimitur. cf. Coriol. c. 4, 3; „non posse suav. viv. sec. Epic.“ c. 16 p. 1098a etc.). Item, quod Plutarchus in vita, ubi de invasione in Laconiçam susceptam agit (c. 24), illum solum ducem commemorat (§ 2), in comparatione hoc pro certo quasi eius solius factum perhibetur et cum Marcelli expugnatione Syracusarum componitur (in Agesilai vitae c. 30sq. Epaminondas solus huius expeditionis dux appellatur). Attamen fortasse cum scriptor meminisset in Epaminondae vita res aliter descriptas esse, adiunxit in c. 2, 2 haec: . . . *εἰ μὴ νὴ Δία τοῦτο μὲν φήσει τις τὸ ἔργον Ἐπαμεινώνδᾳ μᾶλλον ἢ Πελοπίδᾳ προσήκειν, ὥσπερ καὶ τὰ Λεῦκτρα* . . . — Supra commemoravi has comparationes a viris doctis quibusdam a Plutarcho abiudicari (p. 19 adn. 1). Quoniam vix probabile videtur Plutarchum ipsum tam stulte rem tractavisse, nescio an hoc sit argumentum quoddam ad sententiam illam confirmandam. Sed quoquo modo haec res se habet, id quidem certum mihi videtur comparationem ad hanc quaestionem disceptandam neglegendam esse.

Sed ne vitae quidem locis illis maior vis tribuenda est, in qua Plutarchum, cum nihil antiquius haberet, quam ut Pelopidae virtutem praedicaret eiusque gloriam augeret, eius merita paulo in maius extulisse appareat. Quin etiam exstat in ea ipsa locus, ex quo clare cognosci potest eum nihilo minus Epaminondam maiorem existimavisse. Ad fortem animum enim atque audaciam Pelopidae praedicanda in vitae c. 24, 2 haec scribit: *Οἱ δὲ ἄλλοι βοιωτάρχαι καὶ τὸν νόμον δεδιότες τοῦτον καὶ τὸν χειμῶνα φεύγοντες ἀπάγειν ἔσπευδον ἐπ' οἴκου τὸ στράτευμα. Πελοπίδας δὲ* *π ρ ῶ τ ο ς Ἐ π α μ ε ι ν ώ ν δ ᾳ γ ε ν ό μ ε ν ο ς σ ύ μ ψ η φ ο ς* *καὶ συμπαρορμήσας τοὺς πολίτας ἦγεν ἐπὶ τὴν Σπάρτην* . . . Quodsi Pelopidam Epaminondae assensum esse dicitur, illum consilii auctorem, ergo etiam vere expeditionis ducem fuisse conceditur, qui ceteros boeotarchas ad suam sententiam adduxerit, neque dubium est, quin hanc ob rem, de qua hic quasi de omnibus notissima mentio fit, in ipsius vita perquam laudibus elatus sit.

Quam ad rem probandam loci quoque fortasse afferri possunt, quibus de accusatione post expeditionem Peloponnesiacam agitur et quibus de Epaminonda quasi principe delicti mentio fit (cf. „de se ips. citr. invid. laud.“ c. 4 p. 540d–e, „praecept. ger. rei publ.“ c. 3 p. 799e), denique etiam Agesilai vita, in qua (c. 30sq) Thebanorum ducum solus Epaminondas inducitur. Ergo cum re vera Plutarchus non putaret Pelopidam in prima expeditione Peloponnesiaca omnibus praefuisse et soli ei tribuenda esse, quae hoc suscepto efficiebantur, sine dubio etiam ceteris in rebus communitur ab utroque gestis, imprimis in pugna Leuctrica, describendis Epaminondae maiorem gloriam dedit atque omnino illum praestantiorem fuisse iudicavit.

Cognovimus igitur Plutarchum Epaminondae non solum propter morum integritatem et continentiam aliasque virtutes humanas summum honorem tribuisse, sed etiam praeclaram eius et militarium et publicarum rerum scientiam permagni aestimavisse, qua inter omnes aequales floruisse atque etiam Pelopidam amicum superavisse ei videretur. Unum tamen Adolpho Bauer concedo, quamvis in universum minus recte hac de re mihi videtur iudicavisse. Quamquam Plutarchus intellegebat Epaminondam sola singulari sua arte imperatoria invictam fere Lacedaemoniorum phalangem prostravisse, tamen eum plane perspexisse, quantopere ille totam Graecorum rationem belli gerendi acieique instruendae commutavisset, vix est credendum. Sed quis hanc ob causam eum vituperet, qui neque ipse unquam exercitui praefuerat neque auctores militarium rerum peritiores in manibus habebat.

Quibus dictis postquam primam hanc partem ad finem perduximus, transire nobis licet ad ipsam vitam restituendam.

Altera pars.

I. De prima Epaminondae aetate, priusquam ad rem publicam accessit.

Sicut in ceterorum vitis Plutarchus hic quoque haud dubie primo de origine atque stirpe Epaminondae agitavit. Pater eius omnibus ceteris scriptoribus consentientibus ab eo Polymnis appellatur. cf. „de gen. Socr.“ c. 6 p. 578e etc.; Paus. IX, 12, 6; Cornel. Nep. c. 1, 1; Aelian. II, 43, XI, 9 etc. — Eum claritatem etiam natalium praedicavisse his locis comprobatur: Paus. IX, 13, 1: *Τῷ δ' Ἐπαμεινώνδᾳ τὰ μὲν τῶν προγόνων ὑπῆρχεν ἐς γένους δόξαν* . . ., et Plut. Pelop. 3, 1: *Πελοπίδᾳ τῷ Ἱππόκλου γένος μὲν ἦν εὐδόκιμον ἐν Θήβαις ὥσπερ Ἐπαμεινώνδᾳ* . . . . Quin etiam verisimile est Pausaniam a Plutarcho cognovisse, quid draco ille in Epaminondae sepulcro sibi vellet: cf. Paus. VIII, 11, 8: *Τῷ τάφῳ δὲ κίων τε ἐφέστηκε καὶ ἀσπὶς ἐπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχουσα ἐπειργασμένον· ὁ μὲν δὴ δράκων ἐθέλει σημαίνειν γένους τῶν Σπαρτῶν καλουμένων εἶναι τὸν Ἐπαμεινώνδαν* . . . . Plutarchum paucis vel pluribus verbis hanc fabulam explicavisse putare licet, quaestio tamen disceptari non potest. — De matris nomine idem fortasse proposuit, quod in Agesilai vit. 19, 6 scriptum est: . . . *καὶ ὁ Δικαίαρχος ἐπηγανάκτησεν ὡς μήτε τὴν Ἀγησιλάου θυγατέρα μήτε τὴν Ἐπαμεινώνδου μητέρα γιγνωσκόντων ἡμῶν* . . .

Vehementer Plutarchus praedicavisse videtur, quanto amore parentum per totam vitam Epaminondas fuerit, cum narratiunculam quandam hanc ad rem spectantem non modo in ipsa eius vita (apophth. 10) sed etiam tribus ceterorum scriptorum locis commemoret (cf. vit. Coriol. c. 4, 3, „non posse suaviter vivi secundum Epicurum“ c. 16 p. 1098a, „an seni sit ger. res publ.“ c. 6 p. 786d). In apophth. 10 scriptum est: *Ἥδιστον δὲ πάντων αὐτῷ τῶν γεγονότων καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἔλεγε τὸ τοῦ πατρὸς ἔτι ζῶντος καὶ τῆς μητρὸς ἐν Λεύκτροις νικῆσαι Λακεδαιμονίους.* At vero

utrum iam in hac prima parte an postea demum in Leuctrica pugna describenda hoc dictum sit allatum, difficile est diiudicare.

In dialogo „de gen. Socr.“ frater Epaminondae inducitur, nomine Caphisias. Neque vero eius in vita etiam disertis verbis mentionem factam esse utique necesse est. Nam sicut in Ciceronis vita Quintus frater obiter his verbis commemoratur (c. 8, 3): *Οἰκίαν δὲ τὴν μὲν πατρῴαν τῷ ἀδελφῷ παρεχώρησεν* . . ., eodem modo etiam in Epaminondae occasione quadam data Caphisias appellatus esse potest.

Familiam Epaminondae pauperem fuisse iterum atque saepius a Plutarcho affirmatur[1]. Nec tamen in numero mendicorum Polymnidem posuit, quod ex Pausaniae verbis apparet (IX, 13, 1): „. . . *ὁ δέ οἱ πατὴρ χρημάτων ἕνεκα μέσου ἀνδρὸς ἀπέδει Θηβαίου* . . . Haud dubie in ipsa vita hoc clarius explicabatur.

Ex sequentibus Pausaniae verbis: *διδάγματα δὲ αὐτοῖς τά τε ἐπιχώρια ἔμαθεν ἐς τὸ ἀκριβέστατον* . . . sq. sequi mihi videtur etiam in Plutarchi opere sicut apud Cornel. Nep. 2, 1 paupertati familiae oppositum esse, quam singulariter atque accurate nihilo minus in omnibus artibus eruditus Epaminondas fuisset. Verba: *τά τε ἐπιχώρια* significant, quamquam ex ceteris Plutarchi scriptis nihil fere eiusmodi cognoscimus, tamen in vita quidem earum quoque rerum mentionem factam esse, quarum a Cornelio Nepote 2, 1: *„Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria quam Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina, cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone“*.

Neque corporis exercitationes in gymnasiis, quas imprimis a Boeotis summo studio cultas esse scimus, a Plutarcho omissae esse possunt. Quamquam in ceteris scriptis disertis verbis non commemorantur, tamen nonnullis locis significatur quidem Epaminondam eas non neglexisse (cf. Pelop. 7, 3; „de gen. Socr.“ c. 14 p. 583d;

---

[1] H. Swoboda (PWRE. V p. 2676) de paupertate Polymnidis dubitat, quod non nisi maioribus impensis filios tam praeclare educare (Cornel. Nep. Epam. 2, 1) neque Lysin Pythagoreum domum suam recipere potuisset. Non re vera pauperem Epaminondam fuisse, sed quod sua sponte pauperrimorum rationem vivendi subisset, vere inopem a ceteris putatum esse dicit. (cf. etiam Bauch, Epaminondas etc., p. 7) Sed quamquam fortasse concedendum est Epaminondam tenuiore cultu vixisse, quam facultatibus coactus sit, tamen quae Pausanias Plutarcho auctore hac de re nuntiat: „*χρημάτων ἕνεκα μέσου ἀνδρὸς ἀπέδει Θηβαίου*“ fide digna mihi videntur.

c. 25 p. 594a). Cornelius Nepos c. 2, 4 haec tradit: „*Postquam ephebus est factus et palaestrae dare operam coepit, non tam magnitudini virium servivit quam velocitati: illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. In armis vero plurimum studii consumebat.*“ Qua de re Plutarchum idem vel simile aliquid protulisse ex Epam. apophth. 3 apparet, ubi in militibus exercendis eandem rationem eum secutum esse dicitur[1].

Multo accuratius tamen atque diligentius Plutarchum de Epaminondae cupiditate discendi et de philosophiae litterarumque studiis disseruisse puto et sicut in Pelopidae vita laudibus praedicavisse, quantopere haec ceteris omnibus rebus ille praetulisset. cf. Pelop. 4, 1: *Ἦσαν δὲ καὶ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν πεφυκότες ὁμοίως, πλὴν ὅτι τῷ γυμνάζεσθαι μᾶλλον ἔχαιρε Πελοπίδας, τῷ δὲ μανθάνειν Ἐπαμεινώνδας, καὶ τὰς διατριβὰς ἐν τῷ σχολάζειν ὃ μὲν περὶ παλαίστρας καὶ κυνηγέσια ὃ δὲ ἀκούων τι καὶ φιλοσοφῶν ἐποιεῖτο.* — Itaque nescio an id quoque, quod Cornelius Nepos c. 3, 3 hac de re nobiscum communicat: „*. . . cum in circulum venisset, in quo aut de re publica disputaretur aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus*“, ad Plutarchum revocari possit. Num Plutarchus eum hoc mirum ob studium ceteris Boeotis opposuerit, qui propter inertiam et hebetatos quasi animos omnibus temporibus a Graecis, imprimis ab Atheniensibus, illudebantur, non certum est, quoniam in dialogo de genio Socratis populares quam maxime ab hoc crimine defendere studet[2].

Huic insatiabili fere Epaminondae cupiditati discendi et audiendi in vita quoque eius taciturnitatem Plutarchum opposuisse verisimile est, sicut in dial. „de gen. Socr.“ c. 23 p. 592f., ubi scriptum est:

---

[1] Eandem rationem corporis exercendi ipse Plutarchus in scripti „de liberis educandis“ c. 11 p. 8d probat: *πρὸς γὰρ τοὺς στρατιωτικοὺς ἀγῶνας τοὺς παῖδας ἀσκητέον ἐν ἀκοντισμοῖς αὐτοὺς καταθλοῦντας καὶ τοξείαις καὶ θήραις. . . . . . . πόλεμος δ' ἐσκιατραφημένην σωμάτων ἕξιν οὐ δέχεται, ἰσχνὸς δὲ στρατιώτης πολεμικῶν ἀγώνων ἐθὰς ἀθλητῶν καὶ πολεμίων φάλαγγας διωθεῖ.* Nescio an ad hoc praeceptum Epaminondae exemplo adductus sit. cf. tamen p. 54 adn. 1.

[2] Cf. supra p. 11 et R. Hirzel, Der Dialog, II p. 163. Non frustra idem consilium nostra aetate W. R. Roberts opere, quod inscribitur: The ancient Boeotians (Cambridge 1895), secutus est.

Τοιοῦτον . . . τὸ ἦθος . . . τὸ τούτου, σιωπηλὸν καὶ πρὸς τοὺς λόγους
εὐλαβές, ἄπληστον δὲ τοῦ μανθάνειν καὶ ἀκροᾶσθαι· διὸ καὶ Σπίν-
θαρος ὁ Ταραντῖνος οὐκ ὀλίγον αὐτῷ συνδιατρίψας ἐνταῦθα χρόνον
ἀεὶ δήπου λέγει μηδενί πη τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων ἐντετυχηκέναι
μήτε πλείονα γιγνώσκοντι μήτε ἐλάττονα φθεγγομένῳ. — Quin etiam
Spinthari testimonium allatum esse potest, quo Plutarchus eadem
de re in scripti quoque „de recta ratione audiendi“ c. 3 p. 39b
usus est.

Sed quamvis in universum Epaminondas pauca loqui soleret,
tamen Plutarcho auctore nihilo minus egregia eloquentia praeditus
fuisse dicitur. Legimus enim in „praecept. ger. rei publ.“ c. 26
p. 819c: *λάμβανε δὴ καὶ δίκης συνεργὸν καὶ πρεσβείας κοινωνόν,*
ἂν λέγειν μὴ δυνατὸς ᾖς, τὸν ῥητορικόν, ὡς Πελοπίδας Ἐπαμει-
νώνδαν . . . Quae res, de qua aliunde nil cognoscimus, quoniam
quasi omnibus nota commemoratur, haud dubie in vita exemplis
nonnullis additis accuratius explicata erat. Accedit, quod Plu-
tarchus in Ages. vit. 27, 4 disertis verbis celebrat, quantopere
Epaminondas in concilio Graecorum Spartae brevi ante Leuctricam
pugnam habito hac facultate praeter ceteros omnes legatos
floruerit: *μόνος ἐχρήσατο φρονήματι παρρησίαν ἔχοντι.* Etiam
clarius a Cornelio Nepote (Epam. 5, 1) eius facundia laudatur:
„*Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia,*
neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in per-
petua oratione ornatus“. cf. etiam c. 6, 4 et Diod. XV, 88, 3.
Quoniam et in apophthegmatum collectione et in Plutarchi ipsius
scriptis multa Epaminondae ingenii acuminis exempla nobis tradita
sunt, eum quoque praedicavisse licet putare, quam „concinnus“
ille fuerit „in brevitate respondendi“. Denique ne id quidem eum
omisisse verisimile est, quantopere hac facundia omnes populares
propter inertiam loquendi saepe et acriter illusos superavisset.
At vero non neglegendum est Plutarchum, ut ipse erat Boeotus,
minime eos ob *μισολογίαν* illam quae dicitur adeo increpuisse,
praesertim cum opprobium illud tum sublatum esse[1] putaret.
cf. „de gen. Socr.“ c. 1 p. 575e: . . . *δόξειεν ἂν ἐγείρειν τὸ κατὰ*
Βοιωτῶν ἀρχαῖον εἰς μισολογίαν ὄνειδος ἤδη μαραινόμενον παρὰ
Σωκράτη τὸν ὑμέτερον· ἡμεῖς δὲ παρὰ Λῦσιν τὸν ἱερὸν σπουδάζοντες
οὕτω διεφάνημεν.

---

[1] cf. p. 60 adn. 2.

Satis copiose Plutarchum imprimis de Epaminondae studiis philosophiae agitavisse ex ipsa rei natura sequitur, quae permultum ad vitam moresque eius valuisse putabat[1]. Itaque Lysidi illi, quo Epaminondas, sicut Pericles Anaxagora (Pericl. c. 4, 4) et Themistocles Mnesiphilo (Them. 2, 4), philosophiae praeceptore usus esse omnium consensu traditur, etiam maiorem laudem eum tribuisse puto quam Anaxagorae in Periclis vita. A Pausania quidem nil nisi hoc cognoscimus (IX, 13, 1): . . . *καὶ ὡς ἤδη μειράκιον ἦν ἐφοίτησεν ὡς Λῦσιν, ἄνδρα γένος μὲν Ταραντῖνον, ἐπιστάμενον δὲ τοὺς Πυθαγόρου τοῦ Σαμίου λόγους.* . . . Sed cum Plutarchus dialogo etiam „de genio Socratis“ pleraque, quae hac de re scivit, inseruisse videatur, quodammodo cognoscere possumus, quid hac de re nuntiaverit. — Sicut in Periclis vita, ubi de Anaxagora agitatur, breviter de eius persona et vi docemur, etiam in Epaminonda explicandum erat, quis Lysis ille fuisset et quae fortuna eum Thebas tulisset. Primum ergo de vexatione illa Pythagoreorum a Cylone quodam mota nonnulla dicenda erant, qua de re dialogi c. 13 p. 583a haec dicuntur: *Ἐπεὶ γὰρ ἐξέπεσον αἱ κατὰ πόλεις ἑταιρίαι τῶν Πυθαγορικῶν στάσει κρατηθέντων, τοῖς δ' ἔτι συνεστῶσιν ἐν Μεταποντίῳ συνεδρεύουσιν ἐν οἰκίᾳ πῦρ οἱ Κυλώνειοι περιένησαν καὶ διέφθειραν ἐν ταὐτῷ πάντας πλὴν Φιλολάου καὶ Λύσιδος, νέων ὄντων ἔτι ῥώμῃ καὶ κουφότητι διωσαμένων τὸ πῦρ, Φιλόλαος μὲν εἰς Λευκανοὺς φυγὼν ἐκεῖθεν ἀνεσώθη πρὸς τοὺς ἄλλους φίλους ἤδη πάλιν ἀθροιζομένους καὶ κρατοῦντας τῶν Κυλωνείων*[2]. Quae secundum Aristoxenum narrata esse non modo ex eis probabile est, quae supra p. 39 exposui, sed etiam quod gravioribus in rebus cum eis consentiunt, quae auctore Aristoxeno[3] Iamblichus vitae Pythagorae c. 35 § 248—50 tradit. Conferatis imprimis Plutarchi verba: „*νέων ὄντων ἔτι ῥώμῃ καὶ κουφότητι διωσαμένους τὸ πῦρ*“ et Iamblichi (249/50) „*οὗτοι δὲ νεώτατοι ὄντες καὶ εὐρωστότατοι διεξεπαίσαντο ἔξω πως*“.

[1] cf. imprimis „de gen. Socr.“ c. 16 p. 585d; deinde vit. Pelop. c. 3, 3 et „de gen. Socr.“ c. 14 p. 584b. Haud dubie etiam virtutes, quae in Pelop. vit. 26, 5, in Philopoem. vit. 3, 1, aliis locis laudantur, philosophia effectas esse Plutarchus putabat.

[2] De tempore huius seditionis cf. Ed. Zeller: Philosophie der Griechen, I[5] p. 332 sq., imprimis p. 334 adn. 2. De discrepantiis inter Plutarchum et ceteros auctores, qui verius pro „Philolao“ „Archippum“ et pro „Metapontio“ „Crotonem“ posuerunt, conferatis, quae Christ in disputatione de hoc dialogo explicavit (S. B. d. Münch. Ak., phil.-hist. Kl., 1901, p. 89).

[3] cf. Iambl. vit. Pyth. § 251.

Nimirum in vita factum esse potest, ut Plutarchus in paucioribus se contineret et ea sola memoraret, quae ad Lysin attinent. Inde cum in dialogo exponatur, quid in Italia cum Pythagoreis factum sit, necessario in „Epaminonda“ solum narrabatur, quid Lysidi accidisset, qua de re Iamblichus l. c. c. 35 p. 250 haec proponit: . . . *ἀπῆρεν εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ ἐν Ἀχαΐᾳ διέτριβε τῇ Πελοποννησιακῇ, ἔπειτα εἰς Θήβας μετῳκίσατο σπουδῆς τινος γενομένης, οὗπερ ἐγένετο Ἐπαμεινώνδας ἀκροατὴς καὶ πατέρα τὸν Λῦσιν ἐκάλεσεν· ὧδε καὶ τὸν βίον κατέστρεψεν.* . . . A Plutarcho tamen praeterea summa laude efferebatur, quanta liberalitate et hospitalitate a Polymnide, quamvis esset pauper, domum receptus et usque ad mortem benignissime curatus esset. cf. „de gen. Socr.“ c. 13 p. 583c: . . . *καὶ τὰς παρ' ὑμῖν, ὦ Πολύμνι, θεραπείας καὶ διαίτας τ' ἀνδρὸς οἱ σαφῶς εἰδότες ἀπήγγελλον, ὅτι πλουσίας ἐν οἴκῳ πένητι γηροκομίας τυχὼν καὶ πατὴρ τῶν σῶν υἱέων ἐπιγραφεὶς οἴχοιτο μακαριστός.* . . .[1] Quod ab Iamblicho pronuntiatur et a Plutarcho verbis: „*πατὴρ τῶν σῶν υἱέων ἐπιγραφείς*“ significatur, Epaminondam Lysim patrem appellavisse[2], ne in vita quidem omissum esse credo atque etiam commemorandum erat, quam artissime ille ipse praeceptori se applicavisset. Namque non paucis ex locis dialogi hoc est colligendum[3] et Cornelius Nepos diserte eloquitur his verbis (2, 2): „. . . *cui quidem sic fuit deditus, ut adulescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit.*“

Ab hoc Lyside Epaminondas omnibus praeceptis Pythagoreorum philosophiae initiabatur, quod imprimis ex dial. c. 23 p. 592f elucet, ubi Theanor ille de sententia sua interrogatus Epaminondam hanc exponere vult, ut sit eadem doctrina institutus: „*Τί*“ *δ' εἶπεν* „*Ἐπαμεινώνδας οὐ συμβάλλεται γνώμην ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀναγόμενος ἡμῖν*“. Quin etiam in arcana Pythagoricae disciplinae sacra ad-

[1] Nisi forte Plutarchus ipse ad dialogi argumentum augendum ex suo ingenio hoc affinxit. Nam ceteri omnes scriptores, inter quos etiam Pausanias est (Plutarcho auctore), nihil nuntiant, nisi Epaminondam in eius disciplinam se commisisse et discendi causa eum sectatum esse. cf. Paus. IX, 13, 1 (*ἐφοίτησεν ὡς Λῦσιν*); Cornel. Nep. 2, 2; Iambl. l. c. § 250 (*οὗπερ ἐγένετο Ἐπ. ἀκροατής*); Neanth. apud Porphyr. vit. Pyth. 55; Diog. Laert. VIII, 1, 5; Dio Chrysost. Orat. 49 p. 248R; Diodor. X, 11, 2. Quodsi ita esset, necessario omnia quoque, quae de Theanore Pythagoreo dicuntur, ficta erant putanda.

[2] cf. Christ, l. c. p. 250.

[3] cf. c. 8 p. 579e; c. 13 p. 582e sq., p. 583c; c. 16 p. 585e, p. 586a.

mittebatur, quoniam praeceptorem suum peculiari illo Pythagoreorum ritu sepulturae plane observato humabat. Qua de re conferatis „de gen. Socr.“ c. 16 p. 585d — 586a, imprimis haec verba (p. 586a): . . . *ἐπέγνων ὅτι καλῶς ἄχρι τῶν ἀπορρήτων πεπαιδευμένος ὑπ' ἐκείνου τἀνδρὸς εἴη.*

Quodsi his locis Epaminondas plane Pythagorica philosophia imbutus esse dicitur, quomodo fieri potuit, ut in aliis dialogi partibus una cum ceteris eius personis quasi Socraticus describeretur[1], ut ii, qui Simmiae Socratis discipuli domum convenire solent, Socraticorum schola esse videantur? Nam de Socrate imprimis sermo habetur, omnium de eo aliquid audire interest, omnes magna cum reverentia de eo loquuntur. Epaminondas, quamquam ipse sermonem non adiuvat, tamen ei interest et, quanto studio animum ad ceterorum verba attendere solitus sit, in c. 23 p. 592f praedicatur. Praeterea in c. 16 p. 585d easdem ob virtutes „*μέγας*“ a Simmia appellatur, propter quas etiam Socrates a Polymnide p. 581c laudibus effertur. Potestne eiusmodi aliquid etiam in vita Epaminondae commemoratum esse an plane ficta haec putanda sunt? A Xenophonte (Mem. I, 2, 48; III, 11, 17) et a Platone (Phaedon 59c sq.) nobis confirmatur Simmiam illum Thebanum, qui in Plutarchi dialogo inducitur, Socratis discipulum et imprimis philosophiae studiis deditum fuisse (cf. Phaedon. c. 35 p. 85c et Phaedri c. 19 p. 242b). Qua de causa magnam speciem habet verisimilitatis, quod quidem in dialogo audimus (c. 2 p. 546c), eum nonnullis annis post Socratis mortem domum redisse[2] et Thebis, sicut alii aliis in urbibus, ad magistri philosophiam propagandam scholam condidisse. Etiam alio modo hoc probari potest. Rectissime R. Hirzel in lib. de dialogo vol. II p. 163 observavit Plutarchum in dialogo de genio Socratis populares suos a crimine inertiae intelligendi et loquendi defendere et Atheniensibus demonstrare studuisse illis temporibus etiam Thebis non paucos litteris atque philosophiae, imprimis Socraticae, operam dedisse. Quamquam eum rem paulo in maius extulisse concedendum est, tamen omnia haec ficta esse omnino caret probabilitate. Multo fide dignius est Plutarchum ex uberioribus fontibus haurire potuisse quam nos. Quodsi Socraticorum schola Thebis exstiterit, haud dubium mihi videtur, quin Epaminondas, cuius discendi audiendique

[1] cf. R. Hirzel, Der Dialog, vol. II, p. 161—163.
[2] cf. Christ, l. c. p. 95.

cupiditatem supra commemoravi, ad eam se applicaverit, praesertim cum eiusmodi coniunctio Pythagoricae philosophiae cum Socratica non tam inaudita esset. Nam ipse Simmias et Cebes Philolao Pythagoreo magistro usi (Phaedon. 61d) postea Socratem sectabantur atque etiam totus dialogus „de genio Socratis“ id consilium sequitur, ut utramque disciplinam quodammodo inter se consentire demonstraretur. Itaque factum esse potest, ut Plutarchus etiam in vita Epaminondae commemoraret illum non modo a Lyside eruditum sed etiam in circulis virorum, qui domum Simmiae convenire consuevissent, Socraticae doctrinae scientiam consecutum esse.

Maximam gratiam in dialogo Epaminondas praeceptori suo habet, quod ab eo didicerit non solum paupertatem aequo animo ferre sed etiam divitias omnino spernere et semper parco ac parabili victu contentus esse. cf. c. 14 p. 584b: *Τὰς δὲ Λύσιδος ἡμῖν τροφὰς καὶ ταφὰς αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ Λῦσις ἀπέδωκε, τά τε ἄλλα καὶ πενίαν διδάξας μὴ δυσχεραίνειν.* cf. etiam Pelop. c. 3, 3, ubi idem philosophiae tribuitur: *Ἐπαμεινώνδας μὲν οὖν συνήθη καὶ πατρῴαν οὖσαν αὐτῷ τὴν πενίαν ἔτι μᾶλλον εὔζωνον καὶ κοῦφον ἐποίησε φιλοσοφῶν. . . .* — Quod necessario eodem modo atque etiam accuratius in ipsius vita commemorandum erat. Quin etiam tam sobria eius mensa erat; ut Pythagoram imitans interdum solo melle ali solitus esse dicatur (Athen. X p. 419a), quod, quamquam auctor non certus est, etiam Plutarchus proposuisse potest. Huc spectat etiam iocosum quoddam dictum, quod Lycurg. vit. 13, 3 traditum est: *Ὅπερ γὰρ ὕστερον Ἐπαμεινώνδαν εἰπεῖν λέγουσιν ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ τραπέζης, ὡς τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν.*

Quanto hac continentia et sobrietate a popularibus distulisset, qui inter omnes Graecos maxime ventri dediti erant, quam vehementer ab eorum helluatione et intempestivis gulis abhorruisset, Plutarchus his narratiunculis illustravit:

Apophth. 4: *Οὕτω δὲ ἦν εὐτελὴς περὶ τὴν δίαιταν, ὥστε κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ὑπὸ γείτονος εὑρὼν πεμμάτων καὶ ὄψων καὶ μύρων παρασκευὴν ἀπῆλθεν εὐθύς, εἰπών „ἐγώ σε θύειν ᾤόμεν οὐχ ὑβρίζειν“.* (idem exstat in operis, quod inscribitur: „non posse suaviter vivi secundum Epicurum“, c. 17 p. 1099c.)

Apophth. 6: *Ἑορτὴν δὲ τῆς πόλεως ἀγούσης καὶ πάντων ἐν πότοις καὶ συνουσίαις ὄντων, ἀπήντησέ τινι τῶν συνήθων αὐχμηρὸς καὶ σύννους βαδίζων· θαυμάζοντος δὲ καὶ πυνθανομένου τί δὴ μόνος*

οὕτως ἔχων περίεισιν, „ὅπως“ εἶπεν „ἐξῇ πᾶσιν ὑμῖν μεθύειν καὶ ῥαθυμεῖν“. Cuius narratiunculae sententia quodammodo clarior fit, si ex scripti „ad ineruditum principem“ c. 4 p. 781 d, ubi eadem profertur, verba *μόνος ἐφώδευε τὰ ὅπλα καὶ τὰ τείχη* adiungimus.

Quod hanc vivendi rationem per totam aetatem secutus esset, neque umquam a simplici victus consuetudine discessisset neque ab ullo homine, ac ne ab amicissimo quidem, pro se ipso dona accepisset, quotiescumque ei oblata essent, Epaminondas inter omnes Graecos excellere Plutarcho videbatur. Itaque toto pectore cum Simmiae iudicio consentiebat, quod Epaminondae verbis[1] auditis, quibus ille, cur semper divitiae sibi spernendae sint, exponit, initio dialogi c. 16 eum exlamantem fecit: *„Μέγας μέγας ἀνήρ ἐστιν Ἐπαμεινώνδας“.*

Neque tamen solum eius aequitatem animi, qua paupertatem ferebat, atque omnium cupiditatum continentiam philosophiae studiis illis effectas esse Plutarchus putabat, sed haud dubie ceteras quoque multas virtutes, propter quas non paucis locis eum laudat, eius iustitiam, eius aequitatem magnitudinemque animi, quibus per totam vitam in rebus publicis versatus est, quibus inimicitias et intentiones malignorum civium ferebat atque adversariorum quemquam ulcisci nolebat, eius mansuetudinem et clementiam, quae aversissimum ab omnibus caedibus cruentisque facinoribus animum reddiderant. Quas ad res spectant:

Pelop. 26, 5, ubi de Philippo Macedone Epaminondae imitatore dicitur: *ἐγκρατείας δὲ καὶ δικαιοσύνης καὶ μεγαλοψυχίας καὶ πραότητος, οἷς ἦν ἀληθῶς μέγας ἐκεῖνος, οὐδὲν οὔτε φύσει Φίλιππος οὔτε μιμήσει μετέσχεν.*

Philopoem. c. 3, 1, ubi de Philopoemene idem fere traditur: *. . . τῷ δὲ πράῳ καὶ βαθεῖ καὶ φιλανθρώπῳ παρὰ τὰς πολιτικὰς διαφορὰς ἐμμένειν οὐ δυνάμενος . . .*

Pelop. 25, 2, ubi de Meneclidis obtrectationibus agitur: *Τὸ δὲ συκοφάντημα καὶ τὴν πεῖραν Ἐπαμεινώνδας ἤνεγκε πράως, μέγα μέρος ἀνδρείας καὶ μεγαλοψυχίας τὴν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀνεξικακίαν ποιούμενος.*

denique Pelop. et Marc. comp. 1, 1/2; Paus. IX, 15, 3 et 4, ubi clemens eius et a caedibus aversissimus animus laudatur. — Sine

[1] Epaminondas in hac oratione cupiditates secundum Epicurum dividit (cf. R. Hirzel, Dialog, II p. 153 adn. 3). Sed solum ad dialogi argumentum haec dicta accommodata sunt. Vix est credendum Plutarchum in vita simili ratione exposuisse, cur Epaminondas numquam ab ullo homine dona accepisset.

dubio Plutarchus ob omnes has virtutes maximum illum suorum popularium in vita disertis verbis laudavit atque ostendere studuit, quantopere his in rebus inter omnes non modo Boeotos sed etiam Graecos eminuisset. (cf. „de tranquillitate animi“ c. 6 p. 467e/f; c. 13 p. 472d; Arat. vit. 19, 2; Cat. Maior. 8, 8; „quo modo quis suos in virtute sentiat profectus“ c. 15 p. 85a).

Etiam qua ratione in rebus amatoriis Epaminondas se gesserit, Plutarcho in vita paucis explicandum erat, qua de re apud scriptores antiquos aliquoties mentio fit. In Pelop. vit. c. 3, 3 eum per totam vitam caelibem fuisse audimus, quod a Cornelio Nepote c. 5, 5 et 10, 1 confirmatur[1]. Itaque verisimile esse videtur Plutarchum etiam castitatem Epaminondae celebravisse, quamquam neque ipse neque Cornelius Nepos hanc laudem proferunt[2]. Non raro tamen ei cum pulchris adulescentulis consuetudinem intercessisse nobis affirmatur. cf. Cornel. Nep. 4, 1; Athen. XIII p. 605a (auctore Theopompo); Pseudoplutarch. Amat.[3] c. 17 p. 761d. Quamquam ipse Plutarchus in scriptis, quae subiecta non esse constat, disertis verbis hoc non pronuntiat, tamen Epaminondam in aliis quidem hunc morem aluisse ab eo cognoscimus. cf. „de gen. Socr.“ c. 14 p. 583d: *„Καὶ μὴν ἐγὼ“ εἶπεν* (sc. *Ἐπαμεινώνδας*) *„ὦ πάτερ, ταύτῃ μόνον τὴν*

[1] Quam inepta narratiuncula illa in Polyaeni libri II, 3, 1 sit, Melber l. c. p. 545 satis clare ostendit. Mirum quoque est, quod in „Parallelis Minoribus“ (c. 12 p. 308d) auctore Ctesiphonte quodam de filio Epaminondae nuntiatur, qui patre absente contra eius vetitum armis cum hostibus congressus supplicium subisse dicitur. Nescimus, unde haec narratiuncula et imprimis eius similitudo cum ea orta sit, quae apud Livium de Manlio Torquato eiusque filio nuntiatur (VIII, 7). Incertum quoque est, quis et quo tempore auctor ille fuerit. Scripta eius solis in his „Parallelis“ et in libello „de fluviis“ commemorantur, quorum utrumque Plutarcho suppositum esse constat (cf. FHG. IV p. 375). Sed quocumque modo res se habet, id unum certum mihi videtur, Plutarchum ipsum hanc rem non protulisse.

[2] Nescio an cui apophth. 7 huic sententiae obstare videatur, ubi scriptum est: *Ἄνθρωπον δὲ φαῦλον ἐξημαρτηκότα τι τῶν μετρίων, τοῦ μὲν Πελοπίδα παρακαλοῦντος οὐκ ἀφῆκε, τῆς δ' ἐρωμένης δεηθείσης ἀφῆκεν, εἰπὼν ὅτι „τοιαῦτα πρέπει λαμβάνειν ἑταιριδίοις ἀλλὰ μὴ στρατηγοῖς“.* Sed meo quidem iudicio hic de hominis illius amata, non Epaminondae, agitur. cf. Ed. Bauch, Epaminondas, p. 12 adn. 21. Nihil quoque valent ad hoc iudicium Clearchi Solensis verba (FHG. II p. 310 fr. 2; Athen. XIII p. 590c): *Ἐπαμεινώνδας δ' ὁ Θηβαῖος σεμνότερον μὲν τούτων, οὐκ εὐσχημόνως δὲ περὶ τὰς ὁμιλίας ἐσφάλλετο τὴν γνώμην, εἴ τις θεωροίη τὰ πραχθέντα αὐτῷ περὶ τὴν Λάκωνος γυναῖκα,* quoniam, quam ad rem spectent, omnino incertum est.

[3] cf. p. 68 adn. 3.

οἰκίαν ἐδεδίειν ἁλώσιμον ὑπὸ χρημάτων εἶναι, κατὰ τὸ Καφεισίου
σῶμα, καλῆς μὲν ἐσθῆτος δεόμενον, ἵνα τοῖς ἐρασταῖς ἐγκαλ-
λωπίσηται τοσούτοις οὖσιν . . . et „quaest. conviv.“ I, 2, 6 p. 618c–d,
ubi Epaminondam ita milites in acie disponere solitum esse audimus,
ut amantes apud suum quisque amatum starent[1]. Itaque ne
Plutarchus quidem hoc omisisse potest, sed verisimillimum mihi
videtur ea, quae in „Amat.“ c. 17 p. 761d de Epaminondae amatis
nuntiatur, etsi fortasse auctor eius libri non ipse Plutarchus fuit[2],
tamen ex Epaminondae vita deprompta esse. Verba illa sunt:
Οὐ μόνον τοίνυν τὰ μαχιμώτατα τῶν ἐθνῶν ἐρωτικώτατα, Βοιωτοὶ
καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ Κρῆτες, ἀλλὰ καὶ τῶν παλαιῶν ὁ Μελέαγρος
ὁ Ἀχιλλεὺς ὁ Ἀριστομένης ὁ Κίμων ὁ Ἐπαμεινώνδας· καὶ γὰρ οὗτος
ἐρωμένους ἔσχεν Ἀσώπιχον καὶ Καφισόδωρον, ὃς αὐτῷ συναπέθανεν
ἐν Μαντινείᾳ καὶ τέθαπται πλησίον. At vero apud Thebanos
puerorum amor, si quidem honestus erat, non tam turpis quam
pulcherrimus putari solebat, quod non modo ex hoc loco, sed
etiam ex Pelop. c. 18—19 cognoscendum est, ubi de origine
cohortis illius sacrae summa fortitudine clarae agitur, quae tota
ex amatoribus et amatis composita esse dicitur. Conferatis quaeso
c. 19, 1—2: *Ὅλως δὲ τῆς περὶ τοὺς ἐραστὰς συνηθείας οὐχ ὥσπερ*
οἱ ποιηταὶ λέγουσι, Θηβαίοις τὸ Λαΐου πάθος ἀρχὴν παρέσχεν, ἀλλ’
οἱ νομοθέται τὸ φύσει θυμοειδὲς αὐτῶν καὶ ἄκρατον ἀνιέναι καὶ
ἀνυγραίνειν εὐθὺς ἐκ παίδων βουλόμενοι, πολὺν μὲν ἀνεμίξαντο καὶ
σπουδῇ καὶ παιδιᾷ πάσῃ τὸν αὐλὸν εἰς τιμὴν καὶ προεδρίαν ἄγοντες,
λαμπρὸν δὲ τὸν ἔρωτα ταῖς παλαίστραις ἐνέθρεψαντο συγκεραννύντες
τὰ ἤθη τῶν νέων. ὀρθῶς δὲ πρὸς τοῦτο καὶ τὴν ἐξ Ἄρεος καὶ
Ἀφροδίτης γεγονέναι λεγομένην θεὸν τῇ πόλει συνῳκείωσαν ὡς,
ὅπου τὸ μαχητικὸν καὶ πολεμικὸν μάλιστα τῷ μετέχοντι πειθοῦς καὶ
χαρίτων ὁμιλεῖ καὶ σύνεστιν, εἰς τὴν ἐμμελεστάτην καὶ κοσμιωτάτην
πολιτείαν δι’ ἁρμονίας καθισταμένων ἁπάντων.

Alio tamen genere erat amicitia illa notissima, qua Epami-
nondas cum Pelopida usque ad mortem alterius artissime con-
iunctus erat, quae tanta Plutarcho esse videbatur, ut eos in illis
clarissimis amicorum paribus duceret, quae sunt Theseus et Peri-
thous, Achilleus et Patroclus, Orestes et Pylades, Damon et

[1] Idem Pelop. c. 18, 1 de sacra cohorte dicitur. cf. etiam. „Quaest. conviv.“ I, 2, 6 p. 618d, quae de Pammene nuntiantur.

[2] cf. R. Hirzel, Dialog, II p. 234; Hubert, De Plut. Amatorio, Diss. Berol. 1903.

Phintias (cf. „de amic. multit.“ c. 2 p. 93e). Quando et quomodo
haec amicitia orta sit, in Epaminondae vita perinde atque in
Pelopidae expositum esse ex Pausaniae verbis in lib. IX, 13, 1
apparet: *Λέγεται δὲ ὁ Ἐπαμεινώνδας, ἡνίκα ἐπολέμουν Λακεδαι-*
μόνιοι Μαντινεῦσιν, πεμφθῆναι σὺν ἄλλοις ἀνδράσιν ἐκ Θηβῶν Λακε-
δαιμονίοις ἐπαμύνειν· ἔχοντα δὲ τραύματα ἐν τῇ μάχῃ Πελοπίδαν
ἐξέσωσεν ἐς ἅπαν ἀφικόμενος κινδύνου. Quae res in Pelopidae
vita multo uberius narratur:

cf. c. 4, 4—5: *Οὐ μὴν ἀλλ’ οἵ γε πολλοὶ νομίζουσιν αὐτοῖς*
τὴν σφοδρὰν φιλίαν ἀπὸ τῆς ἐν Μαντινείᾳ γενέσθαι στρατείας, ἣν
συνεστρατεύσαντο Λακεδαιμονίοις ἔτι φίλοις καὶ συμμάχοις οὖσι
πεμφθείσης ἐκ Θηβῶν βοηθείας. τεταγμένοι γὰρ ἐν τοῖς ὁπλίταις
μετ’ ἀλλήλων καὶ μαχόμενοι πρὸς τοὺς Ἀρκάδας, ὡς ἐνέδωκε τὸ
κατ’ αὐτοὺς κέρας τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τροπὴ τῶν πολλῶν ἐγε-
γόνει, συνασπίσαντες ἠμύναντο τοὺς ἐπιφερομένους, καὶ Πελοπίδας
μὲν ἑπτὰ τραύματα λαβὼν ἐναντία πολλοῖς ἐπικατερρύη νεκροῖς ὁμοῦ
φίλοις καὶ πολεμίοις, Ἐπαμεινώνδας δὲ, καίπερ ἀβιώτως ἔχειν αὐτὸν
ἡγούμενος, ὑπὲρ τοῦ σώματος καὶ τῶν ὅπλων ἔστη προελθὼν καὶ
διεκινδύνευσε πρὸς πολλοὺς μόνος, ἐγνωκὼς ἀποθανεῖν μᾶλλον ἢ
Πελοπίδαν ἀπολιπεῖν κείμενον. ἤδη δὲ καὶ τούτου κακῶς ἔχοντος,
καὶ λόγχῃ μὲν εἰς τὸ στῆθος ξίφει δὲ εἰς τὸν βραχίονα τετρωμένου,
προσεβοήθησεν ἀπὸ θατέρου κέρως Ἀγησίπολις ὁ βασιλεὺς τῶν
Σπαρτιατῶν, καὶ περιεποίησεν ἀνελπίστως αὐτοὺς ἀμφοτέρους.

Quamquam non clare dicitur, tamen dubitari non potest,
quin illud bellum significetur, quo Lacedaemonii duce Agesipolide
Mantineam urbem Ophi flumine ad muros detorto expugnaverunt
et incolas in proximos vicos diviserunt (anno a. Chr. n. 385;
cf. Xen. Hell. V, 2, 1—7; Diod. XV, 5 et 12; Paus. VIII, 8, 7—9).
Nam etsi Xenophon de proelio ante ipsam obsidionem facto nihil
dicit, apud Pausaniam quidem legimus: *ὡς δὲ ἐκράτησεν ὁ Ἀγησί-*
πολις τῇ μάχῃ . . . (§ 7). Fortasse in „Epaminonda“ accuratius
de tempore, de causis, de eventu huius expeditionis agitabatur[1].

[1] Stern (G. d. sp. u. th. Heg., p. 27 adn. 2 et p. 36 adn. 8), Beloch (Gr. Gesch., III p. 222 adn. 1), Swoboda (PWRE. V p. 2678) hac de re dubitant, quod neque Xenophon neque Diodorus pugnam ante ipsam obsidionem commemorent et quod illis temporibus Thebani Lacedaemoniis tam infenso animo fuerint, ut auxilia ad illam Agesipolidis expeditionem eos misisse vix credendum sit. Sed primum argumentum non multum valet. Nam quamquam maiorem pugnam non commissam esse concedendum et Pausaniae verba (VIII, 8, 7) „*ὡς δὲ ἐκράτησεν ὁ Ἀγησίπολις τῇ μάχῃ*“ a Plutarcho opere pendere verisimile

Cum etiam in hac vita pluribus verbis explicandum fuisse mihi videatur, quanta haec amicitia inter Epaminondam et Pelopidam fuisset, liceat mihi ad hoc illustrandum Pelopidae vitae c. 4, 1—3 adscribere:

Πολλῶν δὲ καὶ καλῶν ὑπαρχόντων ἀμφοτέροις πρὸς δόξαν, οὐδὲν οἱ νοῦν ἔχοντες ἡγοῦνται τηλικοῦτον ἡλίκον τὴν διὰ τοσούτων ἀγώνων καὶ στρατηγιῶν καὶ πολιτειῶν ἀνεξέλεγκτον εὔνοιαν καὶ φιλίαν ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους ἐμμείνασαν. εἰ γάρ τις ἀποβλέψας τὴν Ἀριστείδου καὶ Θεμιστοκλέους καὶ Κίμωνος καὶ Περικλέους καὶ Νικίου καὶ Ἀλκιβιάδου πολιτείαν, ὅσων γέγονε μεστὴ διαφορῶν καὶ φθόνων καὶ ζηλοτυπιῶν πρὸς ἀλλήλους, σκέψαιτο πάλιν τὴν Πελοπίδου πρὸς Ἐπαμεινώνδαν εὐμένειαν καὶ τιμήν, τούτους ἂν ὀρθῶς καὶ δικαίως προσαγορεύσειε συνάρχοντας καὶ συστρατήγους ἢ ἐκείνους, οἳ μᾶλλον ἀλλήλων ἢ τῶν πολεμίων ἀγωνιζόμενοι περιεῖναι διετέλεσαν. αἰτία δὲ ἀληθινὴ μὲν ἦν ἡ ἀρετή, δι' ἣν οὐ δόξαν οὐ πλοῦτον ἀπὸ τῶν πράξεων μετιόντες, οἷς ὁ χαλεπὸς καὶ δύσερις ἐμφύεται φθόνος, ἀλλ' ἔρωτα θεῖον ἀπ' ἀρχῆς ἐρασθέντες ἀμφότεροι τοῦ τὴν πατρίδα λαμπροτάτην καὶ μεγίστην ἐφ' ἑαυτῶν ἰδεῖν γενομένην, ὥσπερ ἰδίοις ἐπὶ τοῦτο τοῖς αὑτῶν ἐχρῶντο κατορθώμασιν.

Haec tanta amicitia eo magis admirationi esse oportet, si consideramus, quantae differentiae atque dissimilitudines inter utrumque intercesserint. Nimirum quod Pelopidas dives erat (Pelop. 3, 1), Epaminondas autem pauper, nihil valebat, quoniam Pelopidas plane amici parcam rationem vivendi accepisse dicitur (3, 2sq.). Sed non modo vitae conditiones, verum etiam naturae eorum moresque vehementer inter se discrepabant. Pelopidas non tanto studio philosophiae operam dabat sed corporis exercitationibus venandique voluptate tempus degere malebat. Praeterea contra Epaminondae tranquillitatem atque mansuetudinem erat vehementi ardentique animo, qui adversariorum inimicitias non aequo animo ferre poterat sed eos ulcisci cupiebat. cf. Pelop. 25, 2sq. Facillime etiam ad iracundiam abstrahebatur, et quod in proelio contra Alexandrum tyrannum „*οὐ κατέσχε*

est, qui rem in maius extulit, tamen Mantinenses, quorum fortitudinem Diodorus XV, 5, 5 et 12, 1 perquam laudat, saepe eruptiones fecisse facile est ad credendum. Alterum refellit Scala: Staatsverträge des Altertum, vol. I Nr. 123, ubi nihilominus Thebanis cum Lacedaemoniis tum foedus fuisse demonstravit (cf. Isocrat. 14, 27; Aristid. Panath. 173, ubi Ephorus auctor est; Plut. Pelop. 4, 5; 5, 1). Ei etiam Ed. Meyer assensus est (Gr. G., V p. 297, § 890 adn.).

λογισμῷ τὴν ὀργὴν“, sed temere et praerupta audacia medios in hostes irruebat, praematura morte abruptus est (Pelop. 32, 5sq.). Nescio an haec quoque in vita locum habuerit.

Denique ad rationem inter illos spectat, quod Epaminondas, quamquam pro se ipso ne ab amicissimo quidem quicquam accipiebat, tamen ad liturgias, quae dicuntur, suppeditandas a Pelopida vel aliis amicis opes quasdam accipere non veritus est. cf. Aristid. vit. 1, 4: *Καὶ γὰρ Ἐπαμεινώνδας, ὃν πάντες ἄνθρωποι γινώσκουσιν ἐν πενίᾳ καὶ τραφέντα πολλῇ καὶ βιώσαντα, καὶ Πλάτων ὁ φιλόσοφος οὐκ ἀφιλοτίμους ἀνεδέξαντο χορηγίας, ὃ μὲν αὐληταῖς ἀνδράσιν ὃ δὲ παισὶ κυκλίοις χορηγήσας, τούτῳ μὲν Δίωνος τοῦ Συρακουσίου τὴν δαπάνην παρέχοντος, Ἐπαμεινώνδᾳ δὲ τῶν περὶ Πελοπίδαν.*

Praeter Pelopidam, qui intimus ei erat, tamen alios quoque multos amicos Epaminondam circum se congregavisse nobis traditum est, quorum numerum ut augeret semper operam dedisset. cf. Aelian. v. h. XIV, 38: *Ἐπαμεινώνδου τοῦ Θηβαίου πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα καλὰ οἶδα, ἐν δὲ τοῖς καὶ τόδε· ἔλεγε πρὸς Πελοπίδαν μὴ πρότερον ἀπαλλάττεσθαι τῆς ἀγορᾶς πρὶν ἢ φίλον τοῖς ἀρχαίοις τινὰ προσπορίσαι νεώτερον.* — Quin etiam Pythagoreorum illud postulatum: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων* in hac societate ad effectum perducere conatus esse dicitur; cf. Cornel. Nep. 3, 4: „*Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut iudicari possit omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat et, quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat. Eamque summam cum confecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent faciebat, ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.*“ Simile aliquid Plutarchum quoque hac de re proposuisse ex eo colligi posse mihi videtur, quod in „praecept. ger. rei publ.“ c. 13 p. 809a Epaminondam idem postulatum ad eos etiam promovere ausum esse tradit, qui ne in amicorum quidem numero fuerint: *Ἐπαμεινώνδας δὲ καὶ πλουσίῳ τινὶ προσελθόντα φίλον αἰτεῖν ἐκέλευσεν τάλαντον, ὡς αὐτοῦ δοῦναι κελεύσαντος· ἐπεὶ δ' ὁ αἰτηθεὶς ἐλθὼν ἐπυνθάνετο τὴν αἰτίαν „ὅτι χρηστός“ εἶπεν „οὗτος ὢν πένης ἐστί, σὺ δὲ πλουτεῖς πολλὰ τῆς πόλεως νενοσφισμένος“.*[1]

[1] cf. L. Pomtow, Das Leben des Epaminondas, p. 35.

Nescio quo loco Plutarcho etiam in universum de virtutibus Epaminondae imperatoriis agendum erat, qua de causa hic componere mihi liceat, quae ea de re memoriae prodita sint. — Primum huc spectat apophth. Epam. 1: *Ἐπαμεινώνδου τοῦ Θηβαίου στρατηγοῦντος οὐδέποτε πανικὸς θόρυβος ἐνέπεσεν εἰς τὸ στρατόπεδον*, quod ex eo loco videtur excerptum esse, ubi, quam aptus Epaminondas ad milites coercendos fuisset, praedicabatur. Quemadmodum hac ipsa facultate apud omnes ille gloriam consecutus sit, ex eo apparet, quod etiam Xenophon facere non potuit, quin eum laudaret; conf. Hell. VII, 5, 19: *Τὸ μέντοι τὸ στράτευμα παρεσκευακέναι ὡς πόνον τε μηδένα ἀποκάμνειν μήτε νυκτὸς μήτε ἡμέρας κινδύνου τε μηδενὸς ἀφίστασθαι σπάνιά τε τὰ ἐπιτήδεια ἔχοντας ὅμως πείθεσθαι ἐθέλειν, ταῦτά μοι δοκεῖ θαυμαστότερα εἶναι.* — Eam quoque ob rem Epaminondam laudavit, quod milites armis exercere et omni disciplina militari erudire studuisset, quod quidem ex apophth. 18 et 3 concludendum est. In apophth. 18 legimus hoc: *Τοὺς δὲ Βοιωτοὺς ὑπὸ σχολῆς ἐκλυομένους ἀεὶ βουλόμενος ἐν τοῖς ὅπλοις συνέχειν, ὁπότε βοιωτάρχης αἱρεθείη, παραινῶν ἔλεγεν „ἔτι βουλεύσασθε, ἄνδρες· ἐὰν γὰρ ἐγὼ στρατηγῶ, στρατευτέον ἐστὶν ὑμῖν·“ καὶ τὴν χώραν ὑπτίαν οὖσαν καὶ ἀναπεπταμένην „πολέμου ὀρχήστραν“ προσηγόρευεν, ὡς μὴ δυναμένους κρατεῖν αὐτῆς, ἂν μὴ τὴν χεῖρα διὰ πόρπακος ἔχωσιν.* — Sed non modo semper in armis habere sed etiam exercere Thebanos Epaminondas voluisse dicitur, quod ex apophth. 3 iam supra commemorato (p. 60) colligendum est: *Τῶν δὲ ὁπλιτῶν δεῖν ἀπέφαινεν εἶναι τὸ σῶμα γεγυμνασμένον οὐκ ἀθλητικῶς μόνον ἀλλὰ καὶ στρατιωτικῶς· διὸ καὶ τοῖς πολυσάρκοις ἐπολέμει, καί τινα τοιοῦτον ἀπήλασε τῆς στρατιᾶς εἰπὼν ὅτι „μόλις αὐτοῦ σκέπουσι τὴν γαστέρα ἀσπίδες τρεῖς ἢ τέσσαρες, δι' ἣν οὐχ ἑώρακεν αὐτοῦ τὸ αἰδοῖον“.* — Denique ad hanc laudationem revocari potest apophth. 2: *Ἔλεγε δὲ τὸν ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλλιστον.* — Liceat mihi hic etiam illud ab Epaminonda ante pugnas clamatum afferre, quod incertum est, ubi collocandum sit; cf. scripti „de gloria Atheniensium“ c. 7 p. 349c: *„Κλῦθ' Ἀλαλά, Πολέμου θύγατερ, ἐγχέων προοίμιον, ᾇ θύεται ἄνδρες τὸν ἱρόθυτον θάνατον“, ὡς ὁ Θηβαῖος Ἐπαμεινώνδας εἶπεν, ὑπὲρ πατρίδος καὶ τάφων καὶ ἱερῶν ἐπιδιδόντες ἑαυτοὺς τοῖς καλλίστοις καὶ λαμπροτάτοις ἀγῶσιν.*

Attamen non solum ipsas imperatorias virtutes Epaminondae Plutarchus praedicabat, sed non minore admiratione dignum ei

esse videbatur, quod ne in amplissimo quidem loco collocatus a frugalitate et tenui victu recessisset, qua in re celebranda haec exempla narravit:

Quaest. conviv. II, 1, 9 p. 633e: *Ἐπαμεινώνδας μετὰ τῶν συναρχόντων ἑστιώμενος ἐπέπινεν ὄξος, καὶ πυνθανομένων εἰ πρὸς ὑγίειαν ἀγαθόν „οὐκ οἶδ'“ εἶπεν, „ὅτι μέντοι πρὸς τὸ μεμνῆσθαι τῆς οἴκοι διαίτης ἀγαθόν, ἐπίσταμαι.“*

Apophth. 5: *Τοῦ δὲ μαγείρου τοῖς συνάρχουσιν ἡμερῶν τινων δαπάνην ἀπολογιζομένου, πρὸς μόνον ἠγανάκτησε τὸ πλῆθος τοῦ ἐλαίου· θαυμασάντων δὲ τῶν συναρχόντων, „οὐ τὸ τῆς δαπάνης“ ἔφη „λυπεῖν αὐτόν, ἀλλ' εἰ τοσοῦτον ἔλαιον ἐντὸς παραδέδεκται τοῦ σώματος.*

Quae omnia quamquam, num a Plutarcho quoque aeque atque ipse feci composita fuerint, incertum ac ne verisimile quidem est, tamen aliter Plutarchi iudicium explanari nequiebat, quoniam nullo modo certe cognoscere possumus, quo quidque loco vitae exstiterit.

Haec sunt, quae in universum a Plutarcho de Epaminondae genere, paupertate, eruditione, de ratione vivendi, aliis rebus in prima vitae parte exposita erant vel exposita esse possunt. Sed priusquam ad ipsas eius res gestas tractandas transire licet, quaerendum est, quid a Plutarcho de Thebis a tyrannis liberatis in eius vita commemoratum sit. Neque enim, etiamsi Pausanias hac de re nobiscum nihil communicat, omitti potuit, quoniam ei explicandum erat, cur Epaminondas ab hoc facinore afuisset, neque in eius rebus gestis duci illud, cui vix interfuerat. Nimirum tam longe accurateque, sicut in Pelopidae vita et in dialogo, haec narrata esse vix credendum est, sed ea tantummodo praedicata esse puto, quae ad Epaminondam pertinebant.

Ac primum quidem commemorandum erat, cum Cadmea a Phoebida Lacedaemoniisque per fraudem capta pauci Thebis rerum potiti essent et multi popularium Athenas fugere cogerentur, Epaminondae in patria remanere licuisse. cf. Pelop. 5, 3: *Πελοπίδας δὲ καὶ Φερένικος καὶ Ἀνδροκλείδας μετὰ συχνῶν ἄλλων φεύγοντες ἐξεκηρύχθησαν, Ἐπαμεινώνδας δὲ κατὰ χώραν ἔμεινε· τῷ καταφρονηθῆναι διὰ μὲν φιλοσοφίαν ὡς ἀπράγμων διὰ δὲ πενίαν ὡς ἀδύνατος* . . . Neque tamen otiosus fuisse dicitur, sed semper civium, praecipue adulescentium animos redintegrare studuisse. cf. Pelop. 7, 3: *Ἐπαμεινώνδας δὲ τοὺς νέους πάλαι φρονήματος ἦν ἐμπεπληκώς· ἐκέλευε γὰρ ἐν τοῖς γυμνασίοις ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν*

Λακεδαιμονίων καὶ παλαίειν, εἶτα ὁρῶν ἐπὶ τῷ κρατεῖν καὶ περιεῖναι γαυρουμένους ἐπέπληττεν, ὡς αἰσχύνεσθαι μᾶλλον αὐτοῖς προσῆκον, εἰ δουλεύουσι δι' ἀνανδρίαν ὧν τοσοῦτον ταῖς ῥώμαις διαφέρουσιν . . . Consilio autem capto tyrannos subdole interficiendi Epaminondam, quamvis precibus peteretur, constanter recusavisse, ne hoc propositum adiuvaret. Quam ad rem quomodo commotus sit, in dialogi c. 3 p. 576f sq. copiose exponitur atque licet putare Plutarchum in vita eius eadem argumenta attulisse. Non iniudicatos cives interfici voluisse dicitur, sed „*λόγῳ καὶ πειθοῖ*“ idem efficere atque ceteri vi et armis. Deinde sequuntur haec:
Ἐπεὶ δ' οὐ πείθει τοὺς πολλούς, ἀλλὰ ταύτην ὡρμήκαμεν τὴν
ὁδόν, ἐᾶν αὐτὸν κελεύει φόνου καθαρὸν ὄντα καὶ ἀναίτιον ἐφεστάναι
τοῖς καιροῖς, μετὰ τοῦ δικαίου καὶ τῷ συμφέροντι προσοισόμενον.
οὐδὲ γὰρ ὅρον ἕξειν τὸ ἔργον, ἀλλὰ Φερένικον μὲν ἴσως καὶ Πελο-
πίδαν ἐπὶ τοὺς αἰτίους μάλιστα τρέψεσθαι καὶ πονηρούς· Εὐμολπίδαν
δὲ καὶ Σαμίδαν, ἀνθρώπους διαπύρους πρὸς ὀργὴν καὶ θυμοειδεῖς,
ἐν νυκτὶ λαβόντας ἐξουσίαν οὐκ ἀποθήσεσθαι τὰ ξίφη, πρὶν ἐμπλῆσαι
τὴν πόλιν ὅλην φόνων καὶ διαφθεῖραι πολλοὺς τῶν ἰδίᾳ διαφόρων
ὄντων. Aliud argumentum in dialogi c. 25 p. 594c affertur: *ἄλλως δὲ καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἁρμόζειν τὸ Θηβαίων εἶναί τινας ἀναιτίους καὶ καθαροὺς τῶν πεπραγμένων, οἳ μᾶλλον ἕξουσιν ἀνυπόπτως πρὸς τὸν δῆμον ὡς ἀπὸ τοῦ βελτίστου παραινοῦντες* . . . — Tyrannicidium ipsum puto paucis verbis perstrictum esse, eo accuratius autem explicatum, quoad nihilo minus Epaminondas facinus adiuvisset, et praedicatum eum interfectis illis in patriae opera navanda a nullo superatum esse. Qua de re ex nonnullis locis Pelopidae vitae et dialogi haec fere cognoscimus: una cum Gorgida, illo viro, quem cohortem sacram instituisse in „Pelopidae“ c. 18, 1 audimus, Epaminondam iam ante diem constitutum amicorum et bonorum civium manum coegisse armisque instruxisse ac facinore confecto hanc adduxisse ad auctores eius adiuvandos et, quod supplendum est, ad tumultum in urbe prohibendum.

cf. „de gen. Socr.“ c. 25 p. 594b: *Ὁ δὲ καὶ τὴν ἡμέραν ἔφη πάνυ σαφῶς εἰδέναι τῆς καθόδου τῶν φυγάδων, καὶ συντετάχθαι μετὰ Γοργίδου τοὺς φίλους πρὸς τὸν καιρόν·* . . .

Pelop. vit. 12, 1—2: *Διαπραξάμενοι δὲ ταῦτα* . . . . *ἧκον δὲ βοηθοῦντες αὐτοῖς μετὰ τῶν ὅπλων οἱ περὶ Ἐπαμεινώνδαν καὶ Γοργίδαν, συνειλοχότες οὐκ ὀλίγους τῶν νέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τοὺς βελτίστους.*

„de gen. Socr.“ c. 34 p. 598c–d: *Ἐν δὲ τούτῳ τῶν πραγμάτων ὄντων, πυθόμενος τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἐγὼ καὶ τὸν Γοργίδαν ἤδη μετὰ τῶν φίλων συναθροίζεσθαι περὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἐπορευόμην πρὸς αὐτούς.*
Factum esse tamen potest, ut haec omnia paulo pluribus verbis in Epaminondae vita exponerentur; atque id quoque fortasse commemorabatur, quod scriptum est in Pelop. c. 12, 4: *Ἅμα δὲ*
ἡμέρᾳ παρῆσαν μὲν ἐκ τῆς Ἀττικῆς οἱ φυγάδες ὡπλισμένοι, συνή-
θροιστο δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ὁ δῆμος, εἰσῆγον δὲ τοὺς περὶ Πελο-
πίδαν Ἐπαμεινώνδας καὶ Γοργίδας. . . . Denique valde verisimile mihi videtur Plutarchum laudibus extulisse, quanta fortitudine ille in Cadmea arce oppugnanda dimicavisset, sicut Cornelius Nepos c. 10, 3: „*Idem, postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coeptum est, in primis stetit.*“

II. De Epaminondae rebus gestis.

Quo tempore Epaminondam primum in re publica versatum esse putaverit et quo facto res gestas ordine narrare coeperit, Plutarchus clare nobis non dicit. Tamen exstant loci quidam,
ex quibus hoc colligendum quidem est. — In scripti „de latenter
vivendo“ c. 4 p. 1129c haec legimus: *Ἐπαμεινώνδας γοῦν εἰς τετ-*
ταρακοστὸν ἔτος ἀγνοηθεὶς οὐδὲν ὤνησε Θηβαίους· ὕστερον δὲ πιστευ-
θεὶς καὶ ἄρξας τὴν μὲν πόλιν ἀπολλυμένην ἔσωσε, τὴν δ' Ἑλλάδα
δουλεύουσαν ἠλευθέρωσε. . . . Haec verba antea non raro ad tyrannicidii tempus revocari solebant[1], quod meo iudicio fieri
nequit. Nam illo tempore nemo Epaminondam „*ἄρξας*“ appellare
potuit. Quamquam in „Amat. narrat.“ III p. 774b scriptum est:
Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος πρῶτον μὲν τὴν παρ' αὐτῷ φρουρὰν ἀπέσφαξε Λακεδαιμονίων . . ., tamen ea verba ad hanc quaestionem
nihil valent, quoniam hoc opus Plutarcho suppositum esse constat[2]

[1] cf. Ed. Bauch, Epaminondas (Breslau 1834), p. 6 adn. 3; Pauly, R. E. III, Epaminondas (Krafft), p. 148; E. Curtius, Gr. Gesch., III^{6} p. 757 (adn. 4 ad p. 250); L. Pomtow, Das Leben d. Epaminondas (Pr. Berlin 1870), p. 31 adn.; Ed. Zeller, Philosophie d. Griechen, I^{5} p. 334 adn. 2, qui hac ex re Epaminondam anno 418 esse natum colligi posse putabant. Cur omnino non fieri possit, ut certe, quo anno Epaminondas natus sit, cognoscamus, exponit H. Swoboda, PWRE., V (Epam.) p. 2675.

[2] cf. B. Weißenberger, Die Sprache Plutarchs von Chäronea und die pseudoplutarchischen Schriften. Diss., Würzb. 1895, p. 77.

atque insuper multa vitia et errores in eo inveniuntur. Cum etiam verba „τὴν δὲ Ἑλλάδα δουλεύουσαν ἠλευθέρωσε“ multo melius ad Leuctricam pugnam accommodata sunt, non dubium mihi videtur, quin Plutarchus de illius tempore hic cogitaverit. Quam ad sententiam comprobandam etiam Agesilai vit. c. 27, 4 afferri potest, ubi in concilio ante pugnam illam tractando Epaminondas his verbis inducitur: ... *Ἐπαμεινώνδας, ἀνὴρ ἔνδοξος ἐπὶ παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ, στρατηγίας δὲ πεῖραν οὔπω δεδωκώς.* — Quibus consideratis pro certo habeo Epaminondam Plutarchi iudicio non ante Leuctricam pugnam ad rem publicam accessisse, sed tum primum boeotarcham creatum esse, qua de causa ab hoc tempore demum ille res gestas ordine narravisse potest.

1. De Leuctrica pugna.

Num Plutarchus explicaverit, quibus causis Epaminondas provectiore demum aetate rei publicae operam navare coepisset et cur illo ipso anno creatus esset, quamquam per se verisimile est, disceptari non potest, cum nihil traditum sit. Id tamen hic quoque paucis significandum erat, quomodo in universum res in Graecia tum se habuissent et quibus causis civitates ad pacem faciendam commotae essent. Qua de re in Ages. c. 27, 3 haec exponuntur:

Ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ συνέβη πταίσματα τοῖς Σπαρτιάταις καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν· ὧν ἦν τὸ περὶ Τεγύρας μέγιστον, ὅπου πρῶτον ἐκ παρατάξεως κρατηθέντες ὑπὸ Θηβαίων ἡττήθησαν . ἔδοξεν οὖν πᾶσι θέσθαι πρὸς πάντας εἰρήνην. ...

Etiam ipsum concilium similiter descriptum esse puto atque hoc Agesilai vitae loco, ubi hoc modo narrari pergitur (c. 27, 4 — 28, 2):

... καὶ συνῆλθον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος πρέσβεις εἰς Λακεδαίμονα ποιησόμενοι τὰς διαλύσεις. ὧν εἷς ἦν Ἐπαμεινώνδας, ἀνὴρ ἔνδοξος ἐπὶ παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ, στρατηγίας δὲ πεῖραν οὔπω δεδωκώς. οὗτος ὁρῶν τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὑποκατακλινομένους τῷ Ἀγησιλάῳ, μόνος ἐχρήσατο φρονήματι παρρησίαν ἔχοντι, καὶ διεξῆλθε λόγον οὐχ ὑπὲρ Θηβαίων ἀλλ' ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ὁμοῦ κοινόν, τὸν μὲν πόλεμον ἀποδεικνύων αὔξοντα τὴν Σπάρτην ἐξ ὧν ἅπαντες οἱ λοιποὶ κακῶς πάσχουσι, τὴν δ' εἰρήνην ἰσότητι καὶ τῷ δικαίῳ κτᾶσθαι κελεύων· οὕτω γὰρ αὐτὴν διαμενεῖν, ἴσων ἁπάντων γενομένων.

Ὁρῶν οὖν ὁ Ἀγησίλαος ὑπερφυῶς ἀγαμένους καὶ προσέχοντας αὐτῷ τοὺς Ἕλληνας, ἠρώτησεν εἰ νομίζει δίκαιον εἶναι καὶ ἴσον αὐτονομεῖσθαι τὴν Βοιωτίαν. ἀντερωτήσαντος δὲ τοῦ Ἐπαμεινώνδου ταχὺ καὶ τεθαρρηκότως εἰ κἀκεῖνος οἴεται δίκαιον αὐτονομεῖσθαι τὴν Λακωνικήν, ἀναπηδήσας ὁ Ἀγησίλαος μετ' ὀργῆς ἐκέλευσε λέγειν σαφῶς αὐτὸν εἰ τὴν Βοιωτίαν ἀφίησιν αὐτόνομον. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο πάλιν τοῦ Ἐπαμεινώνδου φήσαντος, εἰ τὴν Λακωνικὴν ἀφίησιν αὐτόνομον, οὕτω τραχέως ἔσχεν ὁ Ἀγησίλαος καὶ τὴν πρόφασιν ἠγάπησεν προ-ώς εὐθὺς ἐξαλεῖψαι τὸ τῶν Θηβαίων ὄνομα τῆς εἰρήνης καὶ ειπεῖν πόλεμον αὐτοῖς. τοὺς δ' ἄλλους Ἕλληνας διαλλαγέντας ἐκέλευσεν ἀπιέναι, τὰ μὲν ἀκεστὰ τῆς εἰρήνης τὰ δ' ἀνήκεστα τοῦ πολέμου ποιοῦντας· ἔργον γὰρ ἦν πάσας ἐκκαθᾶραι καὶ διαλῦσαι τὰς ἀμφιλογίας.

Tamen fortasse Pausaniae verba (IX, 13, 2) magis ad rationem accommodata sunt, qua Plutarchus in Epaminonda hanc altercationem descripsit: ... *τηνικαῦτα Ἐπαμεινώνδαν ἤρετο Ἀγησίλαος, εἰ κατὰ πόλιν ὀμνύναι Βοιωτοὺς ἐάσουσιν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης· „οὔ πρότερόν γε“ εἶπεν „ὦ Σπαρτιᾶται, πρὶν ἢ καὶ τοὺς περιοίκους ὀμνύοντας κατὰ πόλιν ἴδωμεν τοὺς ὑμετέρους“.*

Vix credendum est Plutarchum in „Epaminonda“ multo accuratius, quid ante hoc concilium factum esset, commemoravisse quam hoc loco. Quamquam nescio an quis putet ei explicandum fuisse, quantopere tum Thebani operam dedissent, ut omnes urbes Boeotias sub potestatem suam redigerent et in unam rem publicam congregarent, quoniam legentes alio modo non satis intellegere potuissent, cur in concilio Graecorum, ut non modo pro Thebis sed pro cuncta Boeotia in pacem legati iurarent, Epaminondas postulavisset, tamen mihi quidem hoc non magis necesse fuisse videtur quam in Agesilai vita. Solum si a Plutarcho nobis traditum esset Epaminondam imprimis populares ad hoc consilium impulisse, ad hanc coniecturam adduci poteramus. Quod cum neque in ceteris scriptis factum sit neque in „Epaminonda“ factum esse posse modo exposuerim, in hoc scripto plura hac de re nobiscum communicata esse vehementer improbabile mihi videtur. — Sed praeter hanc altera quaestio nobis decernenda est. Omnibus, qui in hoc tempore tractando versati sunt, notissimum est Pausaniam et Plutarchum in „Agesilao“ re vera non describere, quae ipso die, quo de pace agebatur, sed quae postridie facta sint. Nam ex Xenophontis Hellenic. VI, 3 certe scimus Athenienses in ipsis de pace disceptationibus primas partes egisse, Thebanos autem, postquam primum in illorum sociis (cf. VI, 3, 19) foederis tabulas signa-

verunt[1], postero die ab Agesilao postulavisse, ut pro Thebanorum nomine Boeotorum scriberetur. Qua ex re sequitur, ut altercatio illa inter Agesilaum et Epaminondam ad hunc diem revocanda sit. Quod, cum ex Agesilai vita cognosci non possit, nescio an quis putet Plutarchum in „Epaminonda" clarius explicavisse, sicut imprimis Hanske, qui in dissertatione de Plutarchi studio Boeotorum[2] Grotium[3] sequens admiratur, cur ille, quamvis vehementer Athenienses Thebanos propter crudelitatem in Plataeenses et Thespienses vituperaverint, Epaminondam neque respondentem neque crimen illud reicientem fecerit, et propterea difficultatem hoc modo tollere conatur (cf. p. 17—18): „Plutarch hat von der Vita des Agesilaus die verloren gegangene Biographie des Epaminondas verfaßt ... Diese Biographie wird daher die ausführliche Inhaltsangabe der wichtigsten von Epaminondas auf dem Kongreß gehaltenen Reden und somit auch seine Entgegnung auf die Vorwürfe wegen grausamer Behandlung von Platää und Thespiä, sowie die von Grote vermißte Begründung der Behauptung enthalten haben, daß Theben ein ebenso gutes Recht auf die Oberhoheit über Böotien als Sparta auf die Herrschaft über Lakonien habe. Im Leben des Agesilaus, wo die Person des Königs den Mittelpunkt der Erzählung bildet, will Plutarch nur das entscheidende Eingreifen des Königs in den Verlauf des Kongresses vorführen; er benügt sich daher, aus der Vita des Epaminondas das zum Verständnis jener entscheidenden Schlußszene Nötige kurz zu wiederholen". Equidem hanc sententiam probare non possum, quae ipsis Plutarchi verbis reici mihi videtur. Si scivisset vel potius in fonte, quem hoc loco secutus est, invenisset Athenienses quoque legatos in hoc concilio orationes habuisse, in quibus Thebanos obiurgavissent, facere non potuit, quin scriberet: „⟨*Ἐπαμεινώνδας*⟩ *ὁρῶν τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὑποκατακλινομένους τῷ Ἀγησιλάῳ, μόνος ἐχρήσατο φρονήματι παρρησίαν ἔχοντι, καὶ διεξῆλθε λόγον οὐχ ὑπὲρ Θηβαίων, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ὁμοῦ κοινόν*" et quae sequuntur. Deinde ne iudicium quidem de Catilinariis in senatu factum, quo Hanske exemplo utitur, argumentum praebet. Nam quamquam concedo Plutarchum in vitis, in quibus de hoc iudicio agit (Ciceronis, Caesaris, Catonis minoris) eius ipsius orationem paulo accuratius reddidisse, cuius vitam tractat, tamen numquam ceteri ita neglecguntur, ut contextus rerum intelligi non possit. Quibus consideratis non puto Plutarchum in „Epaminonda" de actionibus illius concilii multo plura protulisse quam in Agesilai vita. Ne mirum quidem hoc videri potest, si cogitamus Plutarchum auctorem illum Boeotium secutum esse, qui ex eis pendebat, quae legati Thebani de concilio narraverant. Quos nihil magis praedicavisse ex ipsa rei natura sequitur quam Epaminondae concertationem verborum cum Agesilao, in qua ille omnium Graecorum primus negare ausus erat Spartiatas magis dignos esse, qui totam Laconicam imperio regerent, quam Thebanos Boeotiam. Necessario legatorum narrata ab aliis augebantur et in maius extollebantur neque mirum est, quod postremo non modo vulgo sed etiam in historiis Epaminondas in concilio illo inter omnes eminuisse et quasi primas partes egisse fingebatur.

[1] cf. E. v. Stern, G. d. sp. u. th. Heg., p. 129, ubi in universum recte explicare mihi videtur, quae et quo ordine res in illo concilio gestae sint. Contra eius sententiam demonstravit O. Grillnberger, Griech. Stud., c. VII Epaminondam tum maiorem orationem habuisse non necesse esse negare. Itaque ne de eloquentia quidem illius dubitare opus est, sicut Swoboda, l. c. p. 2678.

[2] Hanske, Plutarch als Böoter, Pr. Wurzen 1884, p. 17sq.

[3] G. Grote, History of Greece (in linguam germanam translata), vol. V p. 401 adn. 203.

Sed transeamus nunc ad sequentes res tractandas! — Bellum illud, quod post concilium statim inter Lacedaemonios et Thebanos exortum est, a Pausania his verbis describi incipitur: *Ὡς δὲ ὁ Λακεδαιμονίων καὶ Θηβαίων ἐξῆρτο ἤδη πόλεμος* . . . (IX, 13, 3), quibus significari mihi videtur Plutarchum hoc loco in universum nonnulla de magnitudine belli imminentis exposuisse, quod per se quoque verisimile est. Dicere potuit Thebanos numquam in maiore periculo versatos esse, quod eis ab omnibus relictis ac desertis arma contra eos hostes ferenda fuissent, qui antea numquam fere in acie victi essent, Agesilaum autem et Lacedaemonios easdem ob causas eo magis speravisse se facile victuros esse et in animo habuisse invisissimam urbem plane diruere et solo adaequare.

cf. Pelop. vit. 20, 1: . . . *Λακεδαιμόνιοι . . . πρὸς μόνους Θηβαίους ἐξήνεγκαν τὸν πόλεμον, . . . ὁ δὲ κίνδυνος οὐ περὶ ὧν πρότερον ἦν Θηβαίοις, ἀλλ' ἄντικρυς ἀπειλὴ καὶ καταγγελία διοικισμοῦ καὶ φόβος οἷος οὔπω τὴν Βοιωτίαν κατεῖχεν,* . . .

et Ages. vit. 28, 4: *ὁ Ἀγησίλαος . . . ἐλπίζων αὐτοῖς μὲν [αὐτονόμου] τῆς Ἑλλάδος ὅλης ὑπαρχούσης, ἐκσπόνδων δὲ τῶν Θηβαίων γενομένων, καιρὸν εἶναι δίκην λαβεῖν παρ' αὐτῶν.*

Fortasse etiam breviter commemorabatur, quo animo ceterae civitates in Thebanos fuissent, sicut apud Diodorum XV, 51, 2: *Φανερᾶς δὲ οὔσης τῆς τῶν Λακεδαιμονίων παρασκευῆς, καὶ τῶν Θηβαίων ἐρήμων ὄντων συμμάχων, ἅπαντες ὑπελάμβανον αὐτοὺς ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν Σπαρτιατῶν καταπολεμηθῆναι. διόπερ οἱ μὲν εὐνοϊκῶς ἔχοντες τῶν Ἑλλήνων πρὸς τοὺς Θηβαίους συνήλγουν αὐτοῖς ἐπὶ ταῖς προσδοκωμέναις συμφοραῖς, οἱ δ' ἀλλοτρίως ἔχοντες περιχαρεῖς ἦσαν, ὡς αὐτίκα μάλα τῶν Θηβαίων ἐξανδραποδισθησομένων.* — In eodem orationis contextu etiam dictum illud commemorari potuit, quod a Plutarcho traditur in „praecept de tuend. san.“ c. 25 p. 136d.: *Ὅπερ γάρ φασιν εἰπεῖν τὸν Ἐπαμεινώνδαν μετὰ παιδιᾶς, ἀνδρὸς ἀγαθοῦ περὶ τὰ Λευκτρικὰ νόσῳ τελευτήσαντος, „ὦ Ἡράκλεις, πῶς ἐσχόλασεν ἀνὴρ ἀποθανεῖν ἐν τοσούτοις πράγμασιν“.*

Deinde fortasse narrabatur Epaminondam domum reversum statim ad exercitum se contulisse et ipsum cum parte eius ad eas angustias occupandas profectum esse, in quas Cleombrotum, regem Lacedaemoniorum, qui exercitui in Phocide versanti praeerat, invasurum exspectavisset, et ex aliis boeotarchis Brachyllidem missum esse, ut Cithaeronis transitum custodiret[1];

cf. Paus. IX, 13, 3: *Ἐπαμεινώνδας μὲν ἔχων τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἀντεκάθητο ὑπὲρ τῆς Κηφισίδος λίμνης ὡς ποιησομένων ταύτῃ Πελοποννησίων τὴν ἐσβολήν.*

et Paus. 13, 7: . . . *τοῦ ἑβδόμου τῶν βοιωταρχῶν, ὃς ἐφρούρει μὲν τὴν κατὰ τὸν Κιθαιρῶνα ἐσβολήν, ὄνομα δὲ ἦν οἱ Βραχυλλίδης, τούτου τοῦ ἀνδρός* . . .
Lacedaemonios autem Cleombrotum iussisse, nisi Thebani singulas urbes sui iuris esse sinerent, ex Phocide statim eorum fines invadere. Neque omissum esse potest, quam inviti eorum socii ad hoc bellum secuti essent.

cf. Ages. c. 28, 3: *Ἔτυχε δὲ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐν Φωκεῦσιν ὢν ὁ Κλεόμβροτος μετὰ δυνάμεως. εὐθὺς οὖν ἔπεμπον οἱ ἔφοροι κελεύοντες αὐτὸν ἐπὶ Θηβαίους ἄγειν τὸ στράτευμα καὶ τοὺς συμμάχους περιπέμποντες ἤθροιζον, ἀπροθύμους μὲν ὄντας καὶ βαρυνομένους τὸν πόλεμον, οὔπω δὲ θαρροῦντας ἀντιλέγειν οὐδ' ἀπειθεῖν τοῖς Λακεδαιμονίοις.*

[1] Factum tamen esse potest, ut de Brachyllide postea demum, eodem loco atque apud Pausaniam, agitaretur. cf. p. 85.

et Paus. IX, 13, 9: . . . *οἱ σύμμαχοι τῶν Λακεδαιμονίων ἅτε αὐτοῖς καὶ τὸν πρὸ τοῦ χρόνον οὐκ ἀρεσκόμενοι τὸ ἔχθος μάλιστα ἐπεδείκνυντο*, . . .[1] Fortasse etiam vituperabatur, quam temere et praepropere Agesilaus rem festinavisset, sicut in eius vita c. 28, 5: *Δηλοῖ δὲ τὸ σὺν ὀργῇ μᾶλλον ἢ λογισμῷ γενέσθαι τὴν στρατείαν ἐκείνην ὁ καιρός· τῇ γὰρ τετράδι ἐπὶ δέκα τοῦ Σκιροφοριῶνος μηνὸς ἐποιήσαντο τὰς σπονδὰς ἐν Λακεδαίμονι, τῇ δὲ πέμπτῃ τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἡττήθησαν ἐν Λεύκτροις ἡμερῶν εἴκοσι διαγενομένων.* At vero haec temporis descriptio etiam alio orationis contextu exstitisse potest[2]. Incertum etiam est, num a Plutarcho legationis illius mentio facta sit, de qua Diodorus XV, 51, 3—4 pluribus verbis agit. Sed fieri potuit, praesertim cum a Xenophonte lib. VI, 4, 3 idem significari quidem videatur his verbis: *ἐπέστειλαν δὲ* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *τῷ Κλεομβρότῳ μὴ διαλύειν τὸ στράτευμα, ἀλλ' εὐθὺς ἄγειν ἐπὶ τοὺς Θηβαίους, εἰ μὴ αὐτονόμους ἀφίοιεν τὰς πόλεις.* [. . . . .] *ἐπεὶ οὖν ᾔσθετο οὐχ ὅπως τὰς πόλεις ἀφιέντας* . . .

Deinde de invasione Cleombroti agendum erat, quam Pausanias eum eadem via facientem fingit atque Xenophon VI, 4, 3 et Diodorus XV, 53, 1. cf. IX, 13, 3: . . . *οἱ Λακεδαιμόνιοι δυνάμει καὶ αὐτῶν καὶ τῶν συμμάχων ἐπὶ τοὺς Θηβαίους ᾖεσαν,* . . . . *Κλεόμβροτος δὲ ὁ Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἐπὶ Ἀμβρόσσου τρέπεται τῆς Φωκέων· ἀποκτείνας δὲ Χαιρέαν, ὃς φυλάσσειν διετέτακτο τὰς παρόδους, καὶ ἄλλους τοὺς σὺν αὐτῷ Θηβαίους, ὑπερέβη καὶ ἐς* Incertum est, num Plutarchus *Λεῦκτρα ἀφικνεῖται τὰ Βοιώτια.* etiam Lacedaemonios hoc proelio naves longas nonnullas Thebanorum cepisse commemoraverit (cf. Xen. et Diod. l. c.), quoniam Boeotios historicos Thebanorum clades quam maxime celare studuisse verisimile est.

Qua incursione nuntiata cum a Pausania prodigia iniqua commemorentur, quae Lacedaemoniis acciderint, Plutarchum quoque illa *μοχθηρὰ σημεῖα* attulisse putare licet, ad quae in Agesil. c. 28, 4 revocamur. Pausaniae verba sunt (§ 4): *Ἐνταῦθα καὶ αὐτῷ Κλεομβρότῳ καὶ Λακεδαιμονίων τῷ κοινῷ σημεῖα ἐγένετο ἐκ τοῦ θεοῦ. τοῖς βασιλεῦσιν αὐτῶν ἐς τὰς ἐξόδους πρόβατα εἵπετο θεοῖς τε εἶναι θυσίας καὶ πρὸ τῶν ἀγώνων καλλιερεῖν· ταῖς δὲ ποίμναις*

[1] Pausanias hoc in ipsa pugna describenda commemorat. Potuit tamen in Plutarchi uberiore narratione utroque loco fieri.

[2] cf. supra p. 13 et infra p. 87 et 93.

ἡγεμόνες τῆς πορείας ἦσαν αἶγες, κατοιάδας οἱ ποιμένες ὀνομάζουσιν αὐτάς. τότε οὖν ὁρμήσαντες ἐς τὴν ποίμνην λύκοι τοῖς μὲν προβάτοις ἐγίνοντο οὐδὲν βλάβος, οἱ δὲ τὰς αἶγας τὰς κατοιάδας ἔκτεινον. Significatio huius prodigii ex c. 13, 11—12 cognosci potest, ubi sociorum nullum fere, ipsorum Spartanorum plures quam mille cecidisse dicitur. — Sed unum tantum ostentum Pausanias affert, quamquam, sicut Plutarchus l. c. c. 28, 4, numerum pluralem *σημεῖα* posuit, nisi forte quisquam exsecrationem Scedasi in prodigiorum numero ducit. Qua ex re colligendum est eum nonnulla omisisse. Eiusmodi prodigia autem funesta ipse Plutarchus in scripti „de Pythiae oraculis" c. 8 p. 397e—f profert, quae ex Callisthene deprompta in Epaminondae quoque vita exstitisse supra p. 37sq. conatus sum probare. Itaque ascribere mihi liceat: *Κἀγὼ τῶν ὁμοίων ἅμα συνανεμίμνησκον, οἷα δὴ τοῦ Ἱέρωνος μὲν τοῦ Σπαρτιάτου, ὅτι πρὸ τῆς ἐν Λεύκτροις αὐτῷ γενομένης τελευτῆς ἐξέπεσον οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ ἀνδριάντος, οἱ δ' ἀστέρες ἠφανίσθησαν οὓς Λύσανδρος ἀνέθηκεν ἀπὸ τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίας. ὁ δ' αὐτοῦ Λυσάνδρου λίθινος ἀνδριὰς ἐξήνθησεν ἀγρίαν λόχμην καὶ πόαν τοσαύτην τὸ πλῆθος, ὥστε κατακρύψαι τὸ πρόσωπον.* Eadem prodigia, ut supra vidimus, Callisthene auctore etiam Cicero in scripti „de divinatione" I, 75 proponit, et praeter haec alia quoque nonnulla. Quoniam Plutarchum etiam in „Epaminonda" paulo plura attulisse verisimile est, fieri potuit, ut in his quoque cum Cicerone consentiret. Huius verba sunt: § 76. *„Maximum vero illud portentum isdem Spartiatis fuit, quod, cum oraclum ab Iove Dodonaeo petivissent de victoria sciscitantes legatique vas illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissupavit. Tum ea, quae praeposita erat oraclo, sacerdos dixisse dicitur de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria cogitandum."* § 74. *„Quid? Lacedaemoniis paulo ante Leuctricam calamitatem quae significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt Herculisque simulacrum multo sudore manavit!"*

Prodigio illo commemorato a Pausania de Scedasi vel filiarum eius exsecratione in Lacedaemonios agitatur. Sed nisi forte Plutarchus omnes res divinas atque oracula, quae ad pugnam Leuctricam pertinebant, continuo tractavit, quod factum esse posse concedendum est, ille ab auctoris ordine videtur discessisse. Ex ipsius

verbis Epaminondam Scedaso prope Leuctra, ubi proelium est factum, parentavisse et vota nuncupavisse apparet. Sed omnino non dictum est, quomodo eo venerit, quoniam IX, 13, 3 audivimus eum ad angustias occupandas profectum esse, ex Pelopidae autem vita constat boeotarcharum dissensionem, quae a Pausania post haec demum tractatur, disceptatam esse, priusquam exercitus Leuctra adductus esset (cf. c. 20, 2—3)[1]. Omnia ergo antea explicanda erant, quae inter Cleombroti adventum atque Thebanorum profectionem apud eos gesta erant.

Primum commemorari oportebat Epaminondam, certiorem factum Lacedaemonios Boeotiam invasisse, quam celerrime Thebas revertisse, quo omnes copias cogeret. Imprimis Brachyllides a Cithaerone revocandus erat. Quanta depressio animorum hic fuisset, etiam a Plutarcho descriptum est (cf. apophth. 8); neque tamen soli Lacedaemoniorum timori haec tribuebatur, sed etiam funestis ostentis praesagiisque aucta esse dicebatur. Cuius generis illa fuerint, non iam cognoscere possumus, cum Plutarchus ipse nihil tradat, omina autem eiusmodi, quae Diodoro vel Ephoro auctore (XV, 52, 3—7) exercitui discedenti accidisse dicuntur, illis, qui in apophthegmate appellantur „*χρησμοί*", vix paria haberi possunt. Tam demissi timidique non modo milites populusque sed etiam duces erant, ut multi non pugnam faciendam, sed coniugibus liberisque Athenas deportatis omnia, quae pertinerent ad obsidionem sustinendam, comparanda esse censerent[2]. Epaminondae autem proelio cum hostibus dimicandum esse persuasissimum erat et sine dubio a Plutarcho explicabatur, quibus causis commotus esset[3]. Sine dubio etiam illum ipsum ceteros ad suam sententiam adducere quam maxime studuisse praedicabatur[4]. Certe quoque multum ad eius sententiam comprobandam laeta quaedam Thebanis victoriam praedicentia

---

[1] cf. infra p. 85.

[2] cf. Pausan. IX, 13, 6; Diod. XV, 52, 1. Pausanias solum boeotarchas tres hoc proposuisse dicit; sed sine dubio multi cum illis eadem sententia erant, quod a Plutarcho commemorari potuit. Diodorus Thebanorum populum hoc constituisse scribit, quod, quoniam consilium illud non confectum est, errori, sive Ephori, sive Diodori, tribuendum esse puto.

[3] Solus Xenophon (VI, 4, 6) hac de re nonnulla praebet. At vero Plutarchum alias honestiores quodam modo causas proposuisse puto.

[4] Imprimis Epaminondam auctorem fuisse rem fortunae esse committendam ostendunt verba in Pelop. c. 20, 2: *πρῶτος Ἐπαμεινώνδᾳ προσέθετο γνώμην ψηφιζομένῳ διὰ μάχης ἰέναι τοῖς πολεμίοις.*

vaticinia conferebant, quae, quamquam etiam a Plutarcho prolata esse ex eodem apophthegmate 8 apparet, tamen, cuius generis fuerint, plane perspici nequit, quoniam ab illo ipso nihil cognoscimus, ceteri scriptores autem non inter se consentiunt. A Cicerone auctore Callisthene (de divin. 74) nonnulla proferuntur, quasi re vera facta sint, a ceteris scriptoribus partim significatur, sicut a Xenophonte (VI, 4, 7), partim disertis verbis enuntiatur eas fuisse Epaminondae machinationes, sicut a Diodoro (XV, 53, 4) et a Polyaeno (II, 3, 8). Quoniam, ut supra dixi, magna ex parte Plutarchi quoque fons Callisthenes videtur fuisse et cum insuper prodigia ad Leuctricam pugnam pertinentia ex hoc auctore eum sumpsisse antea demonstraverimus, eius dicta Ciceronis simillima fuisse puto, qui haec scribit (§ 74): *„At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt, armaque, quae fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Cumque eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic adsidue canere coepisse, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse Boeotios Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere soleret, canere si vicisset.“* Trophonii oraculum Lebadense imprimis Thebanos ad depugnandum incitavisse ab aliis quoque scriptoribus[1] traditur, et factum esse potest, ut Plutarchus etiam plura hac de re proponeret. Sed cum nihil certi cognosci possit neque res satis gravis, exponere supersedeo.

De dissensione inter boeotarchas apud Pausaniam haec legimus (IX, 13, 6): *Τῶν δὲ βοιωταρχούντων οὐ κατὰ ταὐτὰ ἐγίνοντο αἱ γνῶμαι, διεστηκυῖαι δὲ πολὺ ἀπ' ἀλλήλων· Ἐπαμεινώνδᾳ μὲν γὰρ ἤρεσκε καὶ Μάλγιδι καὶ Ξενοκράτει κατὰ τάχος πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους ποιεῖσθαι μάχην, Δαμοκλείδας δὲ καὶ Δαμόφιλος καὶ Σιμάγγελος συμβάλλειν μὲν οὐκ εἴων, ἐκέλευον δὲ ὑπεκθεμένους ἐς τὴν Ἀττικὴν γυναῖκας καὶ παῖδας ὡς πολιορκησομένους αὐτοὺς παρασκευάζεσθαι.* In Pelop. vit. c. 20, 2 hic laudatur, quod primus ad Epaminondae sententiam accesserit. Quamquam non utique necesse est, tamen fieri potuit, ut hoc in Epaminondae quoque commemoraretur. — Satis copiose Pausanias etiam explicat, quomodo haec controversia disceptata sit: *Τῶν μὲν δὴ ἓξ ἐς τοσοῦτον ἦν*

[1] cf. Polyaen. II, 3, 8; Diodor. XV, 53, 4; Pausan. IV, 32, 5—6. Gilbert, Die Inschrift des Thebaners Xenokrates. Neue Jhrb. f. kl. Phil. 117, 1878, p. 304 sq.

κεχωρισμένα τὰ βουλεύματα· προσγενομένης δὲ ψήφου τοῖς περὶ Ἐπαμεινώνδαν τοῦ ἑβδόμου τῶν βοιωταρχῶν, ὃς ἐφρούρει μὲν τὴν κατὰ τὸν Κιθαιρῶνα ἐσβολήν, ὄνομα δὲ ἦν οἱ Βραχυλλίδης, τούτου τοῦ ἀνδρός, ὡς ἐπανῆλθεν ἐς τὸ στρατόπεδον, προσθεμένου τοῖς περὶ τὸν Ἐπαμεινώνδαν, τότε καὶ πᾶσιν ἐδέδοκτο ἀγῶνι διακρίνεσθαι. Fortasse etiam Plutarchus, sicut Diodorus XV, 53, 3, Epaminondam huic boeotarchae persuasisse et ad suam voluntatem eum perduxisse nuntiavit, quamquam a Pausania non clare exprimitur.

Ut iam supra (p. 83) commemoravi, *στρατόπεδον* illud quod dicitur non sunt castra apud Leuctra in hostium conspectu posita sed prope ipsas Thebas, quoniam in Pelop. vit. 20, 1—2 audimus hunc, postquam coniugi valedixisset, in castra se solum contulisse: *ἐξιὼν μὲν ἐκ τῆς οἰκίας ὁ Πελοπίδας, καὶ τῆς γυναικὸς ἐν τῷ προπέμπειν . . . . . . ἐλθὼν δὲ εἰς τὸ στρατόπεδον καὶ τοὺς βοιωτάρχας καταλαβὼν οὐχ ὁμογνωμοῦντας* . . . . . ., deinde autem hoc modo narrare pergitur (§ 3): *ὡς οὖν ἐδέδοκτο διακινδυνεύειν καὶ περὶ τὰ Λεῦκτρα τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀντεστρατοπέδευον* . . . . .[1]

Neque tamen solum, quo modo boeotarchae, ut acie decernere auderent, commoti sed etiam, quibus rebus militum animi redintegrati atque alacres ad pugnandum effecti essent, erat explicandum.

[1] Quamquam Plutarchus, quod meo iudicio his ex verbis apparet et quod iam Pomtow l. c. p. 60 intellexisse videtur, Epaminondam ab angustiis illis custodiendis non statim Leuctra exercitum duxisse, sed primum Thebas revertisse tradidit, tamen hoc fieri potuisse H. Swoboda PWRE. V p. 2682 negat, quod Lacedaemoniorum exercitus Leuctris versatus eum ab urbe interclusisset. Nunc vero praeterea auctore Plutarcho Pausanias IX, 13, 3 nuntiat Epaminondam cum parte sola exercitus profectum esse, qua de re a primo non est, cur dubitemus. Quodsi ita erat, ut cum ceteris copiis se coniungeret, domum recurrere coactus erat. Recte sane Swoboda dicit Epaminondam hoc perficere non potuisse, si tum demum de hostium adventu certior factus esset, cum illi iam Leuctra progressi essent. Sed si ita fuisset, mirum videretur, cur Cleombrotus non propius quoque urbem accessisset, praesertim si quis totum Thebanorum exercitum excessisse opinetur. Neque vero Xenophon Lacedaemonios Leuctra inopinatos venisse dicit sed Creusim (VI, 4, 3—4). Qua expugnata quoniam eum statim quam celerrime Leuctra profectum esse non cogimur putare (permolestum fuerat iter per montuosam illam regionem), et cum, quam optime exploratorum officium Epaminondas instituerit, ex secundo impetu contra Spartam suscepto colligendum sit (Kromeyer, Antike Schlachtfelder, I, 35), licet putare ei hostium successum tam opportune nuntiatum esse, ut in tempore Thebas reverti posset. Itaque non reiciendum mihi videtur, quod Plutarchus hac de re tradit.

Quam ad rem spectat apophth. 8 iam saepius commemoratum: Ἐπεὶ δὲ Λακεδαιμονίων ἐπιστρατευομένων ἀνεφέροντο χρησμοὶ τοῖς Θηβαίοις, οἱ μὲν ἧτταν οἱ δὲ νίκην φράζοντες, ἐκέλευε τοὺς μὲν ἐπὶ δεξιᾷ τοῦ βήματος θεῖναι, τοὺς δὲ ἐπ' ἀριστερᾷ. τεθέντων δὲ πάντων, ἀναστὰς εἶπεν „ἐὰν μὲν ἐθελήσητε τοῖς ἄρχουσι πείθεσθαι καὶ τοῖς πολεμίοις ὁμόσε χωρεῖν, οὗτοι ὑμῖν εἰσὶν οἱ χρησμοί“ δείξας τοὺς βελτίονας· „ἐὰν δὲ ἀποδειλιάσητε πρὸς τὸν κίνδυνον, ἐκεῖνοι“, πρὸς τοὺς χείρονας ἰδών. Quod dictum egregie cum eis congruit, quae in vitae Demosthenis 20, 1 de Epaminonda nuntiantur, ubi Demosthenes ante pugnam illam apud Chaeroneam commissam Thebanis Atheniensibusque funestis ostentis perterritis animum afferre studet: . . . ἀναμιμνήσκων Ἐπαμεινώνδου τοὺς Θηβαίους καὶ Περικλέους τοὺς Ἀθηναίους, ὡς ἐκεῖνοι τὰ τοιαῦτα δειλίας ἡγούμενοι προφάσεις ἐχρῶντο τοῖς λογισμοῖς.

Quibus expositis Thebanos Leuctra contra hostes profectos esse dici potuit. Tamen priusquam certamen ipsum describi coeptum est, de Scedasi vel filiarum eius exsecratione a Plutarcho quoque in Epaminonda agitabatur, cuius fere ab omnibus scriptoribus, qui hanc aetatem tractaverunt, mentio fit. cf. Xenoph. Hell. VI, 4, 7; Diod. XV, 54, 1—3; Plutarch. Pelop. 20, 3—4. Etiam in „Amat. narr.“ III p. 773 b—74 d hac de re agitur. Quam accurata imprimis Plutarchi narratio in „Epaminonda“ fuerit, ex Pausaniae verbis cognosci potest (IX, 13, 5): Ἐλέγετο δὲ καὶ μήνιμα ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους ἐκ τῶν θυγατέρων εἶναι τῶν Σκεδάσου. Σκεδάσῳ γὰρ περὶ Λεῦκτρα οἰκοῦντι θυγατέρες Μολπία γίνεται καὶ Ἱππώ· ταύτας ἐς ὥραν ἤδη προηκούσας Λακεδαιμονίων ἄνδρες βιάζονται παρὰ θέμιδα Φρουραρχίδας καὶ Παρθένιος. καὶ αἵ τε παρθένοι παραυτίκα — οὐ γάρ σφισι ἀνεκτὰ ἐφαίνετο εἶναι τὰ τῆς ὕβρεως — ἀπάγχουσιν αὑτάς· καὶ ὁ Σκέδασος, ὡς ἐς Λακεδαίμονα ἐλθόντι οὐδεμία ἐγένετο αὐτῷ δίκη, οὕτως ἐς τὰ Λεῦκτρα ἐπανήκων αὐτὸν διεργάζεται. τότε δὲ ὁ Ἐπαμεινώνδας Σκεδάσῳ καὶ ταῖς παισὶν ἐνήγιζέ τε καὶ εὔχετο, ὡς οὐ μᾶλλον ὑπὲρ σωτηρίας Θηβαίων ἢ καὶ τιμωρίας ἐκείνων τὸν ἀγῶνα ἐσόμενον . . ., quae quamvis multa complectantur, tamen compendium tantummodo copiosioris narrationis esse ex contracta oratione apparet. Si quaerimus, ecquid aliunde haec suppleri possint, nescio an cui locus ille in „Amat. narr.“ III praecipue idoneus esse videatur, quo nusquam uberius de exsecrationis origine agitur. Sed cum multis gravibus in rebus a Pausania differat, cum insuper, ut supra (p. 75) iam commemoravi, hoc scriptum Plutarcho

subiectum esse inter omnes constet, nihilominus neglegendus est. Ex „Pelopidae“ autem c. 20. 3—4 nonnulla depromere possumus. A Pausania non disertis verbis dicitur Scedasum Lacedaemonios devovisse, quamquam hoc ex voce μήνιμα in prima narratione colligendum est. Itaque adiungere licet (§ 4): Ὁ μὲν πατήρ, ὡς οὐκ ἔτυχεν ἐν Λακεδαίμονι δίκης, ἀρὰς κατὰ τῶν Σπαρτιατῶν, ἀρασάμενος ἔσφαξεν ἑαυτὸν ἐπὶ τοῖς τάφοις τῶν παρθένων. Sed etiam cetera, quae sequuntur, in Epaminonda exstitisse possunt: χρησμοὶ δὲ καὶ λόγια τοῖς Σπαρτιάταις ἀεὶ προύφαινον εὐλαβεῖσθαι καὶ φυλάττεσθαι τὸ Λευκτρικὸν μήνιμα, μὴ πάνυ τῶν πολλῶν συνιέντων ἀλλ' ἀμφιγνοούντων τὸν τόπον, ἐπεὶ καὶ τῆς Λακωνικῆς πολίχνιον πρὸς τῇ θαλάττῃ Λεῦκτρον ὀνομάζεται καὶ πρὸς Μεγάλῃ πόλει τῆς Ἀρκαδίας τόπος ἔστιν ὁμώνυμος. — Fortasse etiam de viso somnii Pelopidae paucis verbis agebatur (Pelop. c. 20, 3 — 22), quamquam non utique necesse est.

Brevi ante ipsam pugnam id quoque factum esse videtur, quod Pausanias in § 8 de Thespiensibus narrat: Τῷ δὲ Ἐπαμεινώνδᾳ καὶ ἐς ἄλλους Βοιωτῶν ὕποπτα ἦν, ἐς δὲ τοὺς Θεσπιεῖς καὶ περισσότερον· δείσας οὖν μὴ σφᾶς παρὰ τὸ ἔργον προδῶσιν, ἀποχώρησιν παρεῖχεν ἀπὸ στρατοπέδου τοῖς ἐθέλουσιν οἴκαδε· καὶ οἱ Θεσπιεῖς τε ἀπαλλάσσονται πανδημεὶ καὶ εἴ τισιν ἄλλοις Βοιωτῶν ὑπῆν δύσνοια ἐς τοὺς Θηβαίους. Polyaenus, qui lib. II, 3, 3 eandem rem profert, Thespienses ipso proelii die, cum acies iam progrederetur, discessisse dicit his verbis: Ἐπαμεινώνδας ἐν Λεύκτροις προσῆγεν ἤδη τὴν φάλαγγα· Θεσπιεῖς ἐθελοκακοῦντες εἵποντο . . . Sed quomodo hoc fieri potuerit, difficilius est intellectu. Cum insuper Pausanias scribat: ἀπὸ στρατοπέδου, ad Plutarchum Polyaeni dicta convertere non possumus.

Qua re nuntiata occasio data erat ad commemorandum, quantopere Lacedaemonii copiarum multitudine praevaluissent. Decem milia peditum gravis armaturae equitesque mille Cleombrotum adduxisse in Pelop. vit. 20, 1 nuntiatur. Quantus Thebanorum exercitus fuerit, a Plutarcho non cognoscimus. Tamen in Epaminondae vita eorum quoque numerum eum adiecisse puto, neque maiorem quam Diodorum lib. XV, 52, 2 (οὐ πλείους τῶν ἑξακισχιλίων). Etiam dies, quo pugnatum esset, accurate descripta erat, ut supra iam commemoravi[1]. Quintus dies eius mensis fuisse dicitur, qui

[1] cf. Ages. c. 28, 5; Camill. c. 19, 2; cf. supra p. 13 et 81.

a Thebanis Hippodromius, Hecatombaeon ab Atheniensibus appellabatur.

Qua ratione Plutarchus certamen ipsum descripserit, non iam prorsus clare perspicere possumus. Ex Pelop. vit. 23, 1 constat eum Epaminondam obliquam aciem instruentem fecisse ita, ut sinistro cornui summam vim tribueret et quam maxime id numero augeret. Etiam clarius hoc elucet ex „quaest. Rom.“ c. 78 p. 282e: *Καὶ γὰρ Θηβαῖοι τῷ ἀριστερῷ κέρατι τρεψάμενοι τοὺς πολεμίους καὶ κρατήσαντες ἐν Λεύκτροις, διετέλεσαν ἐν πάσαις ταῖς μάχαις τῷ ἀριστερῷ τὴν ἡγεμονίαν ἀποδιδόντες* . . ., quibus verbis Plutarchus se intellexisse, quantopere haec peculiaris aciei instruendae ratio ab Epaminonda inventa ab ea discrepavisset, qua Graeci usque ad illud tempus usi essent, atque Thebanos sola hac adhibita tam praeclare vicisse evidenter demonstrat. Haud dubie in Epaminondae vita similiter atque etiam magis hoc praedicabatur. Num clarius quam in Pelopidae vita significatum sit, quo loco sacra cohors collocata esset[1], non liquet. Certe tamen commemorabatur, quam inviti socii Lacedaemoniorum in hanc pugnam progressi essent. Cf. Pausanias IX, 13, 9: *ὡς δὲ ἐς χεῖρας συνῄεσαν, ἐντᾶυθα οἱ σύμμαχοι τῶν Λακεδαιμονίων ἅτε αὐτοῖς καὶ τὸν πρὸ τοῦ χρόνον οὐκ ἀρεσκόμενοι τὸ ἔχθος μάλιστα ἐπεδείκνυντο, οὔτε κατὰ χώραν μένειν ἐθέλοντες, ἐνδιδόντες δὲ ὅπῃ σφίσιν οἱ πολέμιοι προσφέροιντο.* Simile aliquid legitur apud Ciceronem „de officiis“ lib. II § 26.

Deinde apud Plutarchum quoque de summa rerum eo loco decernebatur, ubi Cleombrotus ipsis Lacedaemoniis praefuerat, id est in dextro eorum cornu; huc summa vi Epaminondas ipse sinistro cornu impetum fecit. Ne id quidem sine dubio omittebatur Cleombrotum, cum Thebanorum contractam aciem conspexisset, eam circumvenire conatum esse, Pelopidam autem inopinata incursione cum sacra manu facta hoc prohibuisse.

cf. Pelop. 23, 1—2: *Ἐν δὲ τῇ μάχῃ τοῦ Ἐπαμεινώνδου τὴν φάλαγγα λοξὴν ἐπὶ τὸ εὐώνυμον ἕλκοντος, ὅπως τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἀπωτάτω γένηται τὸ δεξιὸν τῶν Σπαρτιατῶν καὶ τὸν Κλεόμβροτον ἐξώσῃ προσπεσὼν ἀθρόως κατὰ κέρας καὶ βιασάμενος, οἱ μὲν πολέμιοι*

[1] Vehementer sententiae virorum doctorum hac de re in diversas partes discedunt. Sed etiamsi recte hoc cognosci posset, tamen non certum est, num Plutarchus hoc clare descripserit. Qua propter hanc rem iniudicatam relinquere mihi liceat.

καταμαθόντες τὸ γινόμενον ἤρξαντο μετακινεῖν τῇ τάξει σφᾶς αὐτούς, καὶ τὸ δεξιὸν ἀνέπτυσσον καὶ περιῆγον ὡς κυκλωσόμενοι καὶ περιβαλοῦντες ὑπὸ πλήθους τὸν Ἐπαμεινώνδαν, ὁ δὲ Πελοπίδας ἐν τούτῳ προεξέδραμε, καὶ συστρέψας τοὺς τριακοσίους δρόμῳ φθάναι πρὶν ἀνατεῖναι τὸν Κλεόμβροτον τὸ κέρας ἢ συναγαγεῖν πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ καὶ συγκλεῖσαι τὴν τάξιν, οὐ καθεστῶσιν ἀλλὰ θορυβουμένοις δι' ἀλλήλων τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐπιβαλών.

Sicut Xenophon VI, 4, 13 Plutarchus initio ambigua spe pugnam stetisse non omisit, quod quidem ex Pausaniae 13, 9 apparere videtur: *αὐτοὺς δὲ Λακεδαιμονίους καὶ Θηβαίους ἐξ ἴσου καθίστη τοὺς μὲν ἐμπειρία τε ἡ προϋπάρχουσα καὶ ἅμα αἰδουμένους μὴ καταλῦσαι τῆς Σπάρτης τὸ ἀξίωμα, Θηβαῖοι δὲ ὑπὲρ τῆς πατρίδος καὶ πρὸ γυναικῶν καὶ παίδων τὸν κίνδυνον ἐφεστηκότα ἑώρων*, et fortasse dictum quoque illud Epaminondae proferebat, quod Polyaenus II, 3, 2 tradit, quo auctore ille, cum res in dubio esset, exclamavisse dicitur: „*ἓν βῆμα χαρίσασθέ μοι, καὶ τὴν νίκην ἕξομεν.*“ — Imprimis tamen Cleombroto aliisque nobilibus Lacedaemoniis interfectis atrox pugna utrimque accensa esse dicebatur; nam Pausanias scribit (§ 10): *ὡς δὲ ἄλλοι τε Λακεδαιμονίων τῶν ἐν τέλει καὶ ὁ βασιλεὺς ἐτεθνήκει Κλεόμβροτος, ἐνταῦθα τοὺς Σπαρτιάτας καὶ ταλαιπωρουμένους· ἐπελάμβανεν ἀνάγκη μὴ ἐνδιδόναι· παρὰ γὰρ τοῖς Λακεδαιμονίοις αἴσχιστον ἐδέδοκτο εἶναι βασιλέως νεκρὸν ἐπὶ ἀνδράσι πολεμίοις γενόμενον περιοφθῆναι*, quocum congruit, quod Xenophon tradit (VI, 4, 13), Lacedaemonios regem mortifero vulnere ictum vivum ex proelio efferre potuisse. — Lacedaemonios postremo in fugam coniectos esse Pausanias per imprudentiam non diserte dicit; Plutarchus nimirum hoc non omisit.

Deinde sine dubio praedicabatur, quantam victoriam Thebani cum praeclara fortitudine tum ducis ingenio consecuti essent, atque id multo pluribus verbis et multo maiore studio quam Pausanias, qui haec scribit (§ 11): *Θηβαίοις μὲν ἡ νίκη κατείργαστο ἐπιφανέστατα πασῶν ὁπόσας κατὰ Ἑλλήνων ἀνείλοντο Ἕλληνες.* (cf. IX, 6, 4) Quod dictum a Plutarcho sumptum esse confirmatur Ages. vit. 29, 1: *Συμβάντος δὲ τοῖς τε Λακεδαιμονίοις πταίσματος ἀπροσδοκήτου καὶ τοῖς Θηβαίοις παρὰ δόξαν εὐτυχήματος οἷον οὐ γέγονεν ἄλλοις Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας ἀγωνισαμένοις.* Describi etiam potuit, quantam gloriam hoc inopinato eventu per totum orbem terrarum adepti essent, quantae admirationi omnibus fuissent; cf. Pelop. 30, 1 sq. (ubi sicut in c. 24, 2 soli Pelopidae tribuitur,

quod aut Epaminondae aut utrique debetur): *οὐ γὰρ ἠρέμα διῖκτο τῆς Ἀσίας οὐδ' ἐπὶ μικρὸν ἡ δόξα τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους ἀγώνων, ἀλλ' ὡς πρῶτος περὶ τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ἐξέδραμε λόγος, ἀεί τινος καινοῦ προστιθεμένου κατορθώματος αὐξανομένη καὶ ἀναβαίνουσα πορρωτάτω κατέσχεν· . . . . . . οὗτος ἀνήρ ἐστιν ὁ γῆς καὶ θαλάττης ἐκβαλὼν Λακεδαιμονίους καὶ συστείλας ὑπὸ τὸν Ταΰγετον καὶ τὸν Εὐρώταν τὴν Σπάρτην τὴν ὀλίγον ἔμπροσθεν βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ καὶ Πέρσαις δι' Ἀγησιλάου τὸν περὶ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἐπαραμένην πόλεμον* . . ., atque significari inde ab hoc tempore Lacedaemoniorum principatum sublatum et Graeciam eorum imperio liberatam esse, sicut in scripti „de latenter viv.“ c. 4 p. 1129 c, ubi de Epaminonda dicitur: *ὕστερον δὲ πιστευθεὶς καὶ ἄρξας τὴν μὲν πόλιν ἀπολλυμένην ἔσωσε, τὴν δ' Ἑλλάδα δουλεύουσαν ἠλευθέρωσεν*, et Pelop. c. 13, 4, ubi Thebarum liberatio hoc modo praedicatur: *ἐνδοξοτέραν δὲ ταύτην* (sc. *τὴν πρᾶξιν*) *ἐποίησεν ἡ μεταβολὴ τῶν πραγμάτων· ὁ γὰρ καταλύσας τὸ τῆς Σπάρτης ἀξίωμα καὶ παύσας ἄρχοντας αὐτοὺς γῆς τε καὶ θαλάττης πόλεμος ἐξ ἐκείνης ἐγένετο τῆς νυκτός*. . . . — Certe ne id quidem demonstrari omittebatur, quanta laetitia optimo hoc eventu ipsi Thebani affecti essent, qui ex tanto periculo atque timore subito ad tantum gloriae sublati essent, quamquam nihil eiusmodi traditum est. Hoc ex loco apophth. 11 mihi videtur excerptum esse, ex quo quantum Epaminondae natura discrepaverit a ceterorum hominum intellegitur: *Εἰωθὼς δὲ φαίνεσθαι τὸν ἄλλον χρόνον ἀληλιμμένος τὸ σῶμα καὶ φαιδρὸς τῷ προσώπῳ, μετὰ τὴν μάχην ἐκείνην τῇ ὑστεραίᾳ προῆλθεν αὐχμηρὸς καὶ ταπεινός· τῶν δὲ φίλων ἐρωτώντων μή τι λυπηρὸν αὐτῷ συμπέπτωκεν, „οὐδὲν“ εἶπεν „ἀλλ' ἐχθὲς ᾐσθόμην ἐμαυτοῦ μεῖζον ἢ καλῶς ἔχει φρονήσαντος· διὸ σήμερον κολάζω τὴν ἀμετρίαν τῆς χαρᾶς“*, qua re nescio an Plutarchus usus sit ad comprobandum Epaminondam, quocumque in casu esset, numquam a philosophiae praeceptis discedere atque semper animi aequitatem servare studuisse.

De rebus, quae statim post pugnam acciderunt, ex Plutarchi opere Pausanias haec tradit (13, 11): *Λακεδαιμόνιοι δὲ ἐς τὴν ὑστεραίαν τοὺς τεθνεῶτας διενοοῦντο ὡς θάψοντες καὶ ἀποστέλλουσι κήρυκα ἐς τοὺς Θηβαίους*. Apud Xenophontem (VI, 4, 15) hoc eodem die, quo pugnabatur, esse factum videtur. Nescimus quis hic errore captus sit. Sequuntur apud Pausaniam haec: *Ἐπαμεινώνδας δὲ ἐπιστάμενος, ὡς ἐπικρύπτεσθαι τὰς συμφορὰς ἀεί ποτε οἱ Λακεδαιμόνιοι πεφύκασιν, ἔφασκεν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν προτέροις*

αὐτῶν διδόναι τοῖς συμμάχοις, ἐπὶ δ' ἐκείνοις ἀνελομένοις οὕτω καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους ἠξίου θάπτειν τοὺς αὐτῶν· ὡς δὲ τῶν συμμάχων οἱ μὲν οὐδὲ ἀρχὴν ἀνῃροῦντο ἅτε οὐ τεθνεῶτός σφισιν οὐδενός, τῶν δὲ ὀλίγον ἐφαίνετο εἶναι τὸ διεφθαρμένον, οὕτω Λακεδαιμόνιοί τε ἔθαπτον τοὺς αὐτῶν καὶ ἤδη Σπαρτιάτας ἐξελήλεγκτο εἶναι τοὺς κειμένους[1]. Idem nuntiatur in apophth. 12. De multitudine interfectorum Pausanias haec affert: *ἀπέθανον δὲ Θηβαίων τε καὶ ὅσοι παρέμειναν Βοιωτῶν ἑπτὰ καὶ τετταράκοντα ἄνδρες, Λακεδαιμονίων δὲ αὐτῶν πλείους ἢ χίλιοι*. Lacedaemoniorum numerus cum eo congruit, qui in apophth. 12 et ab ipso Plutarcho in Ages. 28, 5 perhibetur. Eundem Xenophon VI, 4, 15 praebet. Ex Thebanis autem Diodorus trecentos cecidisse dicit[2].

Deinde, sicut a Xenophonte (VI, 4, 22 sq.), etiam a Plutarcho Lacedaemonios aliquamdiu post pugnam in castris apud Leuctra positis versatos esse traditum est. Sed cum apud Xenophontem ii sua sponte manere atque etiam periculum quodam Thebanis intendere videantur, a Plutarcho prorsus aliter hac de re iudicabatur. cf. Paus. 14, 1: *Τὸ μὲν δὴ παραυτίκα ὁ Ἐπαμεινώνδας μετὰ τὴν μάχην Πελοποννησίων τοῖς λοιποῖς ἀπιέναι προειπὼν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα Λακεδαιμονίους ἐν τοῖς Λεύκτροις εἶχεν ἀπειλημμένους*[3].

Thebanos ad Athenienses, ad Iasonem Pheraeorum tyrannum nuntios misisse, ut de victoria eos certiores facerent (Xen. Hell. VI, 4, 19—20), apud Pausaniam non legimus. Omissum quoque est tyranni intercessione, qui nuntio illo allato statim cum copiis nonnullis socius accessisset, inducias initas esse, quibus Lacedaemoniis incolumibus abire concessum esset. Sed solum, quod recens exercitus ex Peloponneso auxilio profectus esset, qui quomodo coactus atque exstructus sit, a Xenophonte VI, 4, 17—19 describitur,

---

[1] Quamquam ceteri scriptores hac de re nihil nuntiant, tamen Grote l. c. vol. V p. 411, Sievers, Gesch. Griechenl., p. 245, Pomtow l. c. p. 72, alii eam acceperunt. Mihi tamen dubium videtur, an Epaminondas hoc cogere potuerit, et sicut Swoboda l. c. V p. 2684 ad amplitudinem victoriae augendam a Boeotis eorumque scriptoribus rerum fictum esse puto.

[2] Ex Thebanis non plures quam septem et quadraginta cecidisse, quod Pausanias nuntiat, non verisimile est, quoniam, priusquam res decreta esset, atrocissima pugna facta est, quod ipse Plutarchus concedit.

[3] Hac quoque de re dubitandum esse mihi videtur. Nam socii discedere audere vix poterant, quoniam timendum eis erat, ne quasi in manus exercitus auxilio occurrentis (cf. Xenoph. VI, 4, 17—19, 26; Paus. IX, 14, 1) inciderent. cf. etiam Swoboda l. c. V p. 2685.

Epaminondam Lacedaemonios dimisisse dicitur. cf. Pausan. c. 14, 1: *ὡς δὲ ἤκουε τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Σπαρτιάτας βοηθήσοντας τοῖς σφετέροις ἐς Λεῦκτρα ἰέναι πανδημεί, δίδωσιν οὕτω τοῖς ἀνδράσιν ἀπελθεῖν ὑποσπόνδους ἔφη τε ἄμεινον ἔσεσθαι τὸν πόλεμόν σφισιν ἐκ τῶν Βοιωτῶν ἐς τὴν Λακεδαίμονα ἀπώσασθαι.* Nihilo minus etiam apud Plutarchum in rebus inter pugnam atque primam expeditionem Peloponnesiacam gestis Iason partes quasdam egisse videtur[1]. Nam ex apophth. 13, quod huc spectat et quo Epaminondae integritas laudatur, manifesto apparet utrumque hoc tempore convenisse: *Ἰάσονος δὲ τοῦ Θεσσαλῶν μονάρχου συμμάχου μὲν εἰς Θήβας παραγενομένου, δισχιλίους δὲ χρυσοὺς τῷ Ἐπαμεινώνδᾳ πέμψαντος ἰσχωρῶς πενομένῳ, τὸ μὲν χρυσίον οὐκ ἔλαβε, τὸν δὲ Ἰάσονα θεασάμενος „ἀδίκων“ ἔφη „χειρῶν ἄρχεις“.*[2] *αὐτὸς δὲ πεντήκοντα δραχμὰς δανεισάμενος παρά τινος τῶν πολιτῶν, ἐφόδιον τῆς στρατιᾶς, ἐνέβαλεν εἰς Πελοπόννησον*[3]. Attamen cum alia hac de re nusquam proponat, certi quidquam cognoscere non possumus.

2. De prima expeditione Peloponnesiaca.

Quamquam ex rebus, quas gestas inter pugnam Leuctricam et invasionem in Peloponnesum factam Plutarchus nuntiaverit, nihil certi cognoscimus praeter ea, quae Pausanias IX, 14, 2—4 tradit, tamen eum copiosius quam Diodorum (XV, 57, 1–2) et Xenophontem (VI, 5, 23) his de rebus agitavisse ideo verisimile mihi videtur, quod illo tempore sine dubio pleraque Epaminonda auctore fiebant.

Primum ergo afferendum est, quod Pausanias hoc ex vitae loco excerpsit (14, 2—4):

[1] Plutarchum non eodem errore lapsum esse sicut Diodorum, qui Iasonem ante pugnam auxilio advenisse et inducias inter utramque partem conciliavisse atque ante eam etiam alterum Lacedaemoniorum exercitum duce Archidamo successisse et proelio interfuisse fingit (cf. XV, 54, 5—7), cum ex apophthegmatis clausula, tum ex Pausaniae IX, 14, 1, quam supra attuli, clare apparet.

[2] In dialogi „de gen. Socr.“ c. 14 p. 583 f hoc iam ante tyrannos occisos Thebasque liberatas factum esse Plutarchus fingit. Sed haud dubie poetica quasi licentia usus ad tempus praeteritum hoc transtulit, ut exemplo allato Epaminondae integritas eo clarius eluceret.

[3] Apud Xenophontem VI, 5, 19 traditum invenimus Thebanos ad hanc Peloponnesiacam expeditionem faciendam ab Eleis decem talenta mutuatos esse. Quae res cum necessario aliis quoque nota fuisset, nescio an ita hominum sermone commutata sit, quasi ipse Epaminondas pro se aliquid mutuatus esset.

Θεσπιεῦσι δὲ, ὑφορωμένοις τήν τε ἐξ ἀρχῆς ἐκ τῶν Θηβαίων δυσμένειαν καὶ τὴν ἐν τῷ παρόντι αὐτῶν τύχην, τὴν μὲν πόλιν ἔδοξεν ἐκλιπεῖν ἀναφεύγειν δὲ ἐς Κερησσόν. ἔστι δὲ ἐχυρὸν χωρίον ὁ Κερησσὸς ἐν τῇ Θεσπιέων, ἐς ὃ καὶ πάλαι ποτὲ ἀνεσκευάσαντο κατὰ τὴν ἐπιστρατείαν τὴν Θεσσαλῶν· οἱ Θεσσαλοὶ δὲ τότε, ὡς ἑλεῖν τὸν Κερησσόν σφισι πειρωμένοις ἐφαίνετο ἐλπίδος κρεῖσσον, ἀφίκοντο ἐς Δελφοὺς παρὰ τὸν θεὸν, καὶ αὐτοῖς γίνεται μάντευμα τοιόνδε·

Λεῦκτρά τέ μοι σκιόεντα μέλει καὶ Ἀλήσιον οὖδας,
Καί μοι τὼ Σκεδάσου μέλετον δυσπενθέε κούρα.
Ἔνθα μάχη πολύδακρυς ἐπέρχεται· οὐδέ τις αὐτὴν
Φράσσεται ἀνθρώπων, πρὶν κούριον ἀγλαὸν ἥβην
Δωριέες ὀλέσωσ' ὅταν αἴσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.
Τουτάκι δ' ἔστι Κερησσὸς ἁλώσιμος, ἄλλοτε δ' οὐχί.

Τότε δὲ ὁ Ἐπαμεινώνδας ὡς τοὺς Θεσπιεῖς καταφεύγοντας ἐς τὸν Κερησσὸν ἐξεῖλε, πρὸς τὰ ἐν Πελοποννήσῳ παραυτίκα ἔσπευδεν . . .[1]

Pausaniam, quae de hoc bello inter Boeotos et Thessalos olim gesto nuntiat, ex Plutarchi „Epaminonda“ sumpsisse eo quoque confirmatur, quod nemo nisi hic illius mentionem facit. Conferatis Camilli vit. c. 19, 2 et scripti „de Herodoti malignitate“ c. 33 p. 866 f, ubi Thessalos circiter ducentis annis ante pugnam Leuctricam duce Lattamya invasisse et Ceresso frustra oppugnato eodem anni die, quo apud Leuctra pugnatum sit, a Boeotis Lattamya occiso in fugam coniectos esse audimus. Quoniam Plutarchus locis laudatis non ordine narrat, sed quasi ad rem notam nos revocat, eum in Epaminonda paulo copiosius exposuisse, quae tum gestae essent, licet putare. Nec tamen Plutarchus primus duas has victorias composuit, sed haud dubie iam in Boeotio suo fonte hanc comparationem invenit, quoniam oraculum illud, quod esse vaticinium ex eventu apertum est, clare significat Thebanos post Leuctricam pugnam prioris eius praeclarae victoriae meminisse.

[1] Quod apud Xenophontem VI, 3, 1 Thespienses „*ἀπόλιδες*“ appellantur et Diodorus XV, 46, 6 scribit: „*οἱ Θηβαῖοι . . . Θεσπιὰς ἀλλοτρίως πρὸς αὐτοὺς διακειμένας ἐξεπόρθησαν*“, Swoboda l. c. V p. 2685 illos iam ante pugnam Leuctricam ex urbe expulsos esse putat. Sed rectius E. v. Stern, G. d. sp. u. th. Heg., p. 119 hanc difficultatem tollere mihi videtur. Solum muros tum dirutos et incolas in proximos vicos divisos esse (graece *διοικίζειν*) dicit. Si hoc accipimus, facile intellegimus, cur Thespienses, cum Thebanos appropinquaturos esse exspectarent, Ceressum confugerint.

Cetera, ut plane sunt incerta, breviter perstringere mihi liceat. Commemorari potuit Thebanos etiam contra Orchomenios bellum capessivisse, quod Lacedaemoniis favissent, ab Epaminonda tamen eorum urbem diruere prohibitos esse (Diod. XV, 57, 1), plerasque mediae Graeciae civitates (Diod. XV, 57, 1; Xenoph. VI, 5, 23) ad foedus cum Thebanis faciendum adductas esse, Iasonem Pheraeorum tyrannum interfectum esse (Diod. XV, 60, 5; Xenoph. VI, 4, 31—32), fortasse alia quoque, quae ceteri scriptores omiserunt. Nimirum quae interea ab Atheniensibus, quae a Lacedaemoniis aliisque civitatibus Peloponnesiacis gesta essent, in Epaminondae vita accurate descripta esse non possunt. Quod non modo per se probabile est sed etiam ex eo sequitur, quod alio modo Pausanias adduci non potuit, ut expeditionem primam ab Epaminonda in Peloponnesum factam ad ipsum annum pugnae Leuctricae referret[1]. Fortasse solum breviter significabatur, qua de causa Arcades Thebanos auxilio arcessivissent, quod factum esse ex Pausaniae verbis (IX, 14, 4): *ἅτε καὶ τῶν Ἀρκάδων προθύμως μεταπεμπομένων*, colligendum est.

Ad hanc expeditionem Diodoro (XV, 62, 4) et Xenophonte (VI, 5, 23) auctoribus multae civitates mediae Graeciae, Phocenses, Locrenses utrique, Acarnanes, Heracleotae, Melienses, praeter eas Thessali atque Euboei Thebanis auxilia misisse dicuntur. Plutarchum hoc omisisse non est credendum. Ut supra iam demonstravi (p. 56), in Epaminondae vita recte ille ipse summus exercitus dux inducebatur, quamquam haud dubie ne Pelopidas quidem plane neglegebatur. Fortasse sicut apud Cornelium Nepotem (Epam. 7, 3) et Appianum (Syr. 41) praeter eos unum tantum boeotarcham bello interfuisse nuntiabatur (cf. supra p. 26).

Secundum Pausaniam primum narrabatur Epaminondam magnis itineribus ad Arcades adiuvandos in Peloponnesum contendisse (c. 14, 4): . . . *πρὸς τὰ ἐν Πελοποννήσῳ παραυτίκα ἔσπευδεν ἅτε καὶ τῶν Ἀρκάδων προθύμως μεταπεμπομένων*, deinde Argivos, ubi primum advenisset, statim socios ei se adiunxisse: *ἐλθὼν δὲ Ἀργείους μὲν προσελάβετο ἑκουσίους συμμάχους.* Sine dubio idem de Eleis nuntiabatur, qui, quamquam a Pausania omissi sunt, tamen Pelop. vit. c. 24, 1 et 4 sicut a Xenophonte (VI, 5, 19 et 23) et a Diodoro (XV, 62, 5) commemorantur. —

[1] cf. supra p. 23sq.

Cum ex Xenophonte clare appareat illas nationes iam antea cum Lacedaemoniis bellum habuisse, Plutarchus non recte Pelop. 24, 1 a Thebanis eas ad defectionem impulsas esse dicit: *Λακεδαιμονίων ἀποστήσαντες Ἦλιν, Ἄργος, Ἀρκαδίαν σύμπασαν, αὐτῆς τῆς Λακωνικῆς τὰ πλεῖστα.* Sed haec sunt summatim dicta, quae neque ad verbum accipienda sunt neque Plutarchi sententiam exprimunt. Eum in Epaminonda non ita scripsisse ex eo sequitur, quod, ut modo explicavi, Thebanos ab Arcadibus magno studio advocatos fecit, ergo illis cum Lacedaemoniis iam bellum fuisse recte cognovit.

In Arcadum finibus Epaminondas aliquamdiu versatus esse videtur, quod quidem ex narratiuncula in scripti „an seni sit ger. res publ.“ quod inscribitur c. 8 p. 788a tradita colligendum est: *Μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὸ λεχθὲν ὑπ' Ἐπαμεινώνδα τοῦ μεγάλου πρὸς τοὺς Θηβαίους, ὅτε χειμῶνος ὄντος οἱ Ἀρκάδες παρεκάλουν αὐτοὺς ἐν ταῖς οἰκίαις διαιτᾶσθαι παρελθόντας εἰς τὴν πόλιν· οὐ γὰρ εἴασεν, ἀλλὰ „νῦν μὲν“ ἔφη „θαυμάζουσιν ὑμᾶς καὶ θεῶνται πρὸς τὰ ὅπλα γυμναζομένους καὶ παλαίοντας· ἂν δὲ πρὸς τῷ πυρὶ καθημένους ὁρῶσι τὸν κύαμον κάπτοντας, οὐδὲν αὐτῶν ἡγήσονται διαφέρειν“.*[1] Ad hanc primam enim expeditionem haec dicta pertinere verba *χειμῶνος ὄντος* affirmant, quoniam alia non hieme suscepta est. Commemorabantur fortasse ad comprobandum, quantopere Epaminondas milites corroborare atque armis exercere studuisset, qua de re iam supra (p. 72) verba feci. Imprimis temporibus post Leuctricam victoriam apud Thebanos eiusmodi exercitationes floruisse etiam Xenophon auctor est. cf. VI, 5, 23: *Καὶ γὰρ οἱ μὲν Βοιωτοὶ ἐγυμνάζοντο πάντες περὶ τὰ ὅπλα, ἀγαλλόμενοι τῇ ἐν Λεύκτροις νίκῃ.* — Qua de urbe agatur, Plutarchus non dicit. Sed cum ex Xenophontis verbis (VI, 5, 22): *Ἐπεὶ δὲ οἱ Θηβαῖοι βεβοηθηκότες παρεῖναι ἐλέγοντο εἰς τὴν Μαντίνειαν, οὕτως ἀπαλλάττονται* (sc. *οἱ Ἀρκάδες*) *ἐκ τῆς Ἡρείας καὶ συμμιγνύουσι τοῖς Θηβαίοις*, colligere meo iudicio liceat Thebanos Mantineae paulo moratos esse et cum sociis se coniunxisse, Plutarchum quoque de illa cogitavisse verisimile est. Qua ex commoratione fortasse in Thebanorum memoria postea sententia orta est Mantineam tum demum ab Epaminonda refectam esse, quod auctore Plutarcho Pausanias nuntiat; cf. IX, 14, 4: *Μαντινέας δὲ κατὰ κώμας ὑπὸ Ἀγησιπόλιδος διῳκισμένους ἐς τὴν ἀρχαίαν συνήγαγεν αὖθις πόλιν,*

[1] Rebus mutatis postea in extrema expeditione Peloponnesiaca nihilominus milites Tegeae in urbe collocavit. cf. Xenoph. VII, 5, 8.

et VIII, 8, 10: *Μαντινέας δὲ ἐκ τῶν κωμῶν κατάξειν ἐς τὴν πατρίδα ἔμελλον Θηβαῖοι μετὰ τὸ ἔργον τὸ ἐν Λεύκτροις.*[1]

Deinde Pausanias Megalopolis urbis conditae his verbis mentionem facit (14, 4): *Τὰ δὲ πολίσματα τὰ Ἀρκάδων ὁπόσα εἶχεν ἀσθενῶς καταλῦσαι πείσας τοὺς Ἀρκάδας, πατρίδα ἐν κοινῷ σφισιν ᾤκισεν, ἡ Μεγάλη καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι καλεῖται πόλις,* quibus cum verbis congruit VIII, 27, 2: *Τῆς πόλεως δὲ οἰκιστὴς Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος σὺν τῷ δικαίῳ καλοῖτο ἄν· τούς τε γὰρ Ἀρκάδας οὗτος ἦν ὁ ἐπεγείρας ἐς τὸν συνοικισμόν. . . .* Quomodo factum sit, ut in hoc capite (VIII, 27), quo accuratius de novae urbis ortu agitur, anno pugnae Leuctricae aedificari eam coeptam esse (§ 8) dicatur, supra exposui (p. 23 sq.). A Plutarcho, ubi res expeditione illa gestas enumerat[2], Megalopolis non commemoratur, sed solum Arcades in unam rem publicam ab Epaminonda coniunctos esse praedicatur, quod vicissim Pausanias omittit. Nunc vero hic lib. VI, 12, 8 et VIII, 33, 1 urbem communi Arcadum consilio constitutam esse fingit et lib. VIII, 52, 4 Epaminondam Messena et Megalopoli urbibus aedificatis Graeciam illustriorem reddidisse dicit: *Ἐπαμεινώνδας δὲ καὶ πόλεσιν οὐκ ἀφανέσιν, Μεσσήνῃ καὶ Μεγάλῃ πόλει τῇ Ἀρκάδων, λογιμωτέραν τὴν Ἑλλάδα ἐποίησεν . . .,* quae scribere non potuit, nisi Megalopoli conditae tantandem auctoritatem tribuisset, quantam Messenae restitutae. Itaque ad coniecturam adducimur utrumque has res non seiungendas esse, sed simul cum urbe condita Arcades in unum corpus congregatos esse putavisse, quae eo confirmatur, quod Plutarchus in scripti „adversus Colotem“ c. 32 p. 1126 c tradit Platonem ad Arcadum rem publicam constituendam Aristonymum discipulum misisse, apud Diogenem Laertium autem in vitae Platonis (lib. III) § 18 dicitur: Thebanos et Arcadas Megalopolim condentes Platonem ipsum ad leges scribendas arcessere frustra conatos esse. cf. Plut. adv. Colot. c. 32 p. 1126 c: *Πλάτων δὲ τῶν ἑταίρων ἐξαπέστειλεν Ἀρκάσι μὲν Ἀριστώνυμον διακοσμήσοντα τὴν πολιτείαν . . .,* et Diog. Laert. III, 18 (23): *φησὶ δὲ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ καὶ εἰκοστῷ τῶν ὑπομνημάτων ὡς Ἀρκάδες καὶ Θηβαῖοι Μεγάλην πόλιν οἰκίζοντες παρεκάλουν αὐτὸν νομοθέτην, ὁ δὲ μαθὼν ἴσον ἔχειν οὐ θέλοντας οὐκ ἐπορεύθη . . .,* quibus locis, quamquam quodammodo

---

[1] De verbis: *μετὰ τὸ ἔργον τὸ ἐν Λεύκτροις* cf. supra p. 25; cf. etiam p. 97 adn. 1.

[2] Pelop. vit. 24, 5; „de se ipsum citra invid. laud.“ c. 4 p. 540 d–e.

inter se repugnant, tamen verba „*Ἀρκάσι διακοσμήσοντα τὴν πολιτείαν*“ et „*Μεγάλην πόλιν οἰκίζοντες παρεκάλουν νομοθέτην*“ ad eandem rem spectare mihi videntur. Sine dubio Plutarchus in Epaminondae vita clarius sententiam illustravit atque etiam Megalopolim urbem commemoravit. Ceteris tamen locis, ubi gravissima sola obiter perstringit, solam omnium Arcadum coniunctionem praedicat, quoniam, ut erat historicus, haec praevalere ei videbatur, cum Pausanias, qui locorum descriptioni imprimis operam dabat, novam urbem permagnam conditam esse memoria dignius putaret.

Plutarchi iudicio igitur, ut iterum dicam, Megalopolis urbis aedificatio eadem erat atque omnium Arcadum congregatio in unam rem publicam, quae Epaminonda auctore, cum primum in Peloponneso versaretur, effecta esset. Quae opinio, quamquam non plane rectam eam esse ex eo sequitur, quod a Xenophonte et Diodoro cognoscimus Arcades iam statim post Leuctricam pugnam sua sponte se coniungere constituisse, tamen ne plane falsa quidem esse potest. Nam praeterquam quod etiam Dinarchus orator I, 73 Thebanos hoc bello ad Arcades a Lacedaemoniis solvendos aliquid contulisse dicit (*Ἀρκάδας αὐτονόμους ἐποίησαν*), imprimis epigrammate illo Plutarchi sententia confirmatur, quod auctore Pausania (IX, 15, 6) ad statuam Epaminondae adscriptum et Plutarcho quoque notum erat (cf. „non suaviter posse vivi secundum Epicurum“ c. 16 p. 1098 a):

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν,
Μεσσήνη δ' ἱερὴ τέκνα χρόνῳ δέχεται·
Θήβης δ' ὅπλοισιν Μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται,
Αὐτόνομος δ' Ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίῃ.

Quibus versibus ea Epaminondae facta celebrantur, quibus, quod Lacedaemoniorum nimiam potentiam atque principatum in aeternum sustulisset et Graeciam quasi liberavisset, summam apud omnes gloriam adeptus erat. Qua ex re et quod epigrammatis quoque auctor, sicut Pausanias VIII, 52, 4, Megalopolim conditam cum

---

[1] Supra (p. 25 sq.) verisimile esse exposui Appianum, quae in Syriaci libri c. 41 de Epaminondae causa publica tradit, ex Plutarchi „Epaminonda“ sumpsisse. Quae sententia haud mediocriter verbis: . . . *τὰ Λακεδαιμονίων φρούρια καθεῖλον καὶ ἐπέστησαν αὖθις ἕτερα τῶν Ἀρκάδων,* confirmatur, quibus res expeditione illa gestas adumbrat. Nam meo quidem iudicio pertinent „*ἕτερα τῶν Ἀρκαδων*“ sc. *φρούρια* ad Mantineam et Megalopolim, quae urbes Plutarcho auctore, ut modo demonstravi, ab Epaminonda hac occasione aedificabantur.

Messena restituta componit et quasi uno tenore utramque appellat, similis momenti eas fuisse apparet eum putavisse. Nam si Benedictus Niese[1] recte dixisset solum ad meridianam Arcadiae partem melius confirmandam contra Lacedaemonios coloniam deductam esse neque quemquam ei maiorem vim tum tribuisse, non est intelligendum, cur hanc ipsam ob rem, cui eius quidem sententia ipse ne interfuerat[2] quidem, Epaminondas adeo praedicatus sit, ut in eiusmodi epigrammate commemoraretur. Itaque non dubito, quin hac quoque in elegia Megalopolis condita cum Arcadibus in unam civitatem congregatis aequata sit.

Quibus expositis si quaerimus, qua causa iam brevi post ea tempora haec sententia fieri potuerit, quamquam re vera Arcades ultro ad hoc consilium progressi sunt, hoc modo difficultas optime tolli mihi videtur: Arcadum coniunctio non incipiebatur Epaminonda auctore, sed ad finem eo perducebatur, quod eis persuadebat, ut quasi caput totius Arcadiae ad foedus confirmandum „Magnam urbem“ conderent. Quod consilium num postea ad effectum adductum sit, in hac quaestione nihil valet[3].

Quod attinet ad tempus, ex omnibus, quae modo exposui, si quidem cum rebus congruunt, elucet urbem sola in prima illa Epaminondae expeditione posse conditam esse. Idem colligendum est ex Polyb. IV, c. 32—33, quibus agitur de ratione inter Messeniam et Arcadiam et in quibus Messenes et Megalopolis ita mentio fit, quasi ab Epaminonda ipso eodem tempore eademque occasione conditae essent (cf. 32, 10 et 33, 8)[4]. Etiam inscriptionis illius testimonium,

[1] Beiträge zur Geschichte Arkadiens. Herm. 34, 1899, p. 538.

[2] Quod Diodorus XV, 72, 4 nuntiat, urbem post Archidami victoriam illam ex Arcadibus sine ullo vulnere partam conditam esse pro certo ponit, quo tempore Thebani bello cum Alexandro Pheraeo ad Pelopidam liberandum occupati erant.

[3] cf. Niese, l. c. p. 535.

[4] Non neglegendum est Polybium hic a Callisthene pendere, cuius testimonium c. 33, 1 affert. Eundem etiam, ut infra explicabo (p. 122 sq.), lib. IX, 8 secutus est, quo de Epaminondae rebus brevi ante pugnam Mantinensem gestis agit. Itaque verisimillimum mihi videtur eum cetera quoque, quae de Epaminonda et Pelopida profert (VI, 43, 4—6; VIII, 1, 7—8; XXXII, 8, 6), ex illius Hellenicis deprompsisse, quem in numero „*τῶν λογιωτάτων τῶν ἀρχαίων συγγραφέων*“ ducit (VI, 45, 1). Quoniam ubique fere laudibus illorum illustrium virorum abundat, id quoque haud leve argumentum mihi videtur esse, quo probetur Callisthenem a Thebanorum memoria pependisse eorumque res quam maxime praedicare studuisse.

quam Marmor Parium appellamus, hic afferendum est, quo eadem sententia quamquam non clare probatur, tamen non improbatur[1]. Solus Diodorus ab ea discrepat et post Lacedaemoniorum victoriam praeclaram, quae „*ἄδακρυς*“ dici solet, coloniam deductam esse fingit (XV, 72, 4). Tamen ceterorum fontium auctoritate vinci mihi videtur, imprimis epigrammate illo, nisi quis alia ratione hos versus interpretatur. Non tantum valet, quo Niese[2] ad Diodori tempus comprobandum argumento utitur: Archidamum illam expeditionem in Parrhasios, in qua Arcades tam clare devincebat, omnino non suscipere potuisse, si Megalopolis iam exstitisset (Xenoph. Hell. VII, 1, 28 sq.). Nam praeterquam quod in interiores regiones eum progressum esse ex Xenophontis verbis non opus est colligere, etiam postea, cum Lacedaemoniorum manus Cromni ab Arcadibus obsideretur et idem auxilio missus ad eam liberandam fines circa hoc oppidum vastaret (Xen. Hell. VII, 4, 21), Megalopolis non commemoratur, quamquam vix quinque milibus passuum a Cromno abest. Sed ne eo quidem ab hac opinione discedere cogimur, quod Pausanias auctore Plutarcho, ut mihi quidem videtur, Pammenem ab Epaminonda cum mille Thebanis ad Lacedaemonios defendendos auxilio misisse nuntiat. cf. VIII, 27, 2: *Θηβαίων τε χιλίους λογάδας καὶ Παμμένην*[3] *ἀπέστειλεν ἡγεμόνα ἀμύνειν τοῖς Ἀρκάσιν, εἰ κωλύειν πειρῶνται οἱ Λακεδαιμόνιοι τὸν οἰκισμόν.* Nam quamquam recte Niese dicit[4] hoc non eo tempore factum esse posse, quo Epaminondas ipse cum tanto exercitu in Peloponneso versaretur et Lacedaemonii adeo prostrati essent, ut eos arcere vix necesse esset, tamen postea, cum illi paulatim se reficere coepissent, Arcades auxilio indiguisse facile est ad putandum.

[1] Id solum cognosci potest urbem inter annum 371/70 Phrasiclide Athenis archonte et annum 368/67 Nausigene archonte, ergo aut 370/69 aut 369/68, conditam esse.

[2] Beiträge zur Geschichte Arkadiens. Herm. 34, 1899, p. 538; Herm. 39, 1904, p. 121—125.

[3] Pammenes adulescens ad Epaminondam se applicavisse et in rebus publicis ab amico maiore natu auctus esse dicitur; cf. Plut. „praecept. ger. rei publ.“ c. 11 p. 805 e — f. Etiam in vita de ratione inter eos agendum erat, quamquam nescimus, quid hac de re nuntiatum sit neque quo loco. Quae de illo tradita sunt, composuit Sievers, Gr. Gesch., p. 198. At vero scripturae mendo quodam codicum (l. c. p. 805 f *ηὔξησε . . . Ἐπαμεινώνδαν δὲ Παμμένης* pro *Ἐπαμεινώνδας δὲ Παμμένη*) deceptus, sicut alii praeter eum, maiorem natu quam Epaminondam eum putavit.

[4] Herm. 34, p. 537.

Fortasse post cladem illam acceptam a Thebanis copiae illae eis submittebantur, quod timebant, ne Lacedaemonii urbem exstruendam turbarent[1]. Quamquam tum non iam tam arto foedere cum Arcadibus coniunctos eos esse Xenophon auctor est (VII, 1, 22–26, 32), tamen fortasse magis ad septentrionalis Arcadiae incolas hoc spectat, cum meridiani semper in Thebanorum societate manerent.

Quam ad partem expeditionis illius Megalopolis condita revocanda sit, non prorsus clarum est. Plerisque locis, sicut a Plutarcho ipso in script. „de se ipsum citra invidiam laudando“ c. 4 p. 540d–e, in apophth. 23, in epigrammate illo, a Dinarcho (I, 73), novissima post Messenen restitutam, a Plutarcho in Pelopid. vit. 24, 5 inter hanc et invasionem in ipsam Laconicam susceptam, a Pausania IX, 14, 4 ante invasionem illam collocatur. Sed quoniam dubium est, num illis locis, ubi res solum enumerantur, non narrantur, temporum ordo servatus sit, nec tamen est, cur Pausaniam a fonte suo discessisse putemus, in Plutarchi quidem „Epaminonda“ eodem ordine res inter se secutas esse atque in Pausaniae summario probabile est. Sed etiam vere ita res se habuisse possunt. Etsi in Pausaniae indice (VIII, 27, 3sq.) urbes nonnullae proponuntur, quae sub Lacedaemoniorum ditione fuerant, tamen consilio urbis aedificandae iam antea capto post Epaminondae invasionem eae defecisse et ad Arcadum foedus se applicavisse possunt.

Arcadibus impulsis, ut Megalopolim conderent, apud Plutarchum exponebatur, quo modo Epaminondas ceteros boeotarchas, qui imperii tempore exacto domum redire volebant, ad progrediendum in ipsam Laconicam commovisset.

cf. Paus. IX, 14, 5: *Ὁ μὲν δὴ χρόνος βοιωταρχοῦντι Ἐπαμεινώνδᾳ διήνυστο, τεθνάναι δὲ ἐτέτακτο ἐπιλαβόντα ἄνδρα τῆς ἀρχῆς· ὁ οὖν Ἐπαμεινώνδας ὑπεριδὼν ὡς οὐκ ὄντα ἐν καιρῷ τὸν νόμον ἐβοιωτάρχει.*

et Plut. Pelop. 24, 1—2: *Καίτοι χειμῶνος μὲν ἦσαν αἱ περὶ τροπὰς ἀκμαί, μηνὸς δὲ τοῦ τελευταίου φθίνοντος ὀλίγαι περιῆσαν ἡμέραι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἔδει παραλαμβάνειν ἑτέρους εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ πρώτου μηνός, ἢ θνήσκειν τοὺς μὴ παραδιδόντας. οἱ δὲ ἄλλοι βοιωτάρχαι καὶ τὸν νόμον δεδιότες τοῦτον καὶ τὸν χειμῶνα φεύγοντες*

[1] cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt., V p. 433 (§ 953 adn.). Hic quoque Megalopolim conditam in Epaminondae expeditione ponit, nescio an eisdem causis commotus atque ipse.

ἀπάγειν ἔσπευδον ἐπ᾽ οἴκου τὸ στράτευμα. Πελοπίδας δὲ πρῶτος Ἐπαμεινώνδᾳ γενόμενος σύμψηφος καὶ συμπαρορμήσας τοὺς πολίτας. . . . Haud dubie in Epaminondae vita similiter copiose res tractabatur quam in Pelopidae: magis tamen praedicandum erat Epaminondam consilii auctorem fuisse et ceteros ad suam sententiam adduxisse, quod in illa parum clare exprimitur (cf. supra p. 56).

De invasione in Laconicam, quomodo in Epaminonda descripta sit, a Pausania et in Pelopidae vita non multa cognoscimus, quoniam illic res obiter agitatur atque insuper in „Pelopida“ omnia ad illum solum referuntur.

cf. Paus. IX, 14, 5: . . . *καὶ ἀφικόμενος τῷ στρατῷ πρὸς τὴν Σπάρτην, ὡς οὐκ ἀντεπῆγεν Ἀγησίλαος μαχούμενος, οὕτω πρὸς τὸν οἰκισμὸν τρέπεται Μεσσήνης.*

Pelop. 24, 2: *Πελοπίδας . . . ἦγεν ἐπὶ τὴν Σπάρτην καὶ διεβίβαζε τὸν Εὐρώταν. καὶ πολλὰς μὲν ᾕρει πόλεις αὐτῶν, πᾶσαν δὲ τὴν χώραν ἐπόρθει μέχρι θαλάττης, ἡγούμενος ἑπτὰ μυριάδων Ἑλληνικῆς στρατιᾶς, ἧς ἔλαττον ἢ δωδέκατον ἦσαν αὐτοὶ Θηβαῖοι μέρος.*
Multo plura in Agesilai vitae c. 31—32 hac de re narrantur. Quoniam, ut supra explicavi, Plutarchus in hoc opere, quae de eisdem rebus antea in Epaminonda scripserat, non neglexit, imprimis, ubi de illo ipso agendum erat, hic rem eandem esse facile est ad credendum, praesertim cum praeter ea, quae in urbe ipsa facta esse dicuntur, vix quidquam commemoretur, quod in „Epaminonda“ omissum vel prorsus alio modo explicatum esse oportet. Itaque liceat mihi haec ascribere:

cf. Ages. 31, 1—2: 1. *Ἐκ δὲ τούτου παρῆν εἰς τὴν Λακωνικὴν ὁ Ἐπαμεινώνδας μετὰ τῶν συμμάχων, οὐκ ἐλάττονας ἔχων τετρακισμυρίων ὁπλιτῶν. πολλοὶ δὲ καὶ ψιλοὶ καὶ ἄνοπλοι πρὸς ἁρπαγὴν συνηκολούθουν, ὥστε μυριάδας ἑπτὰ τοῦ σύμπαντος ὄχλου συνεισβαλεῖν εἰς τὴν Λακωνικήν.* (Idem numerus exstat in „Pelopidae“ loco, quem supra attuli, et apud Diodorum in laudatione Pelopidae, XV, 81, 2.) 2. *Ἦν μὲν δὴ χρόνος οὐκ ἐλάττων ἐτῶν ἑξακοσίων ἀφ᾽ οὗ κατῴκουν τὴν Λακεδαίμονα Δωριεῖς· ἐν δὲ τούτῳ παντὶ τότε πρῶτον ὤφθησαν ἐν τῇ χώρᾳ πολέμιοι, πρότερον δ᾽ οὐδεὶς ἐτόλμησεν. ἀλλ᾽ ἀδῄωτον καὶ ἄθικτον οὖσαν ἐμβαλόντες ἐπυρπόλουν καὶ διήρπαζον ἄχρι τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς πόλεως, μηδενὸς ἐπεξιόντος.* Cum non modo hoc Plutarchi loco sed etiam a ceteris auctoribus (Diodor. XV, 65, 1; Dinarch. 1, 73; Epam. apophth. 23) praedicetur, quanto post Spartam conditam Laconica primum ab Epa-

minonda vastata sit, quae res Graecorum animos tum vehementer movisse videtur, idem a Plutarcho in illius quoque vita esse allatum verisimile est. — Agesilaum suos urbe continuisse legimus apud Pausaniam quoque loco supra adscripto. — Fortasse etiam Thebanos Agesilaum increpitavisse et ad pugnam provocavisse commemorabatur, sicut in Ages. 31, 3: *Ἀγησίλαος ... τῆς πόλεως τὰ μέσα καὶ κυριώτατα τοῖς ὁπλίταις περιεσπειραμένος ἐκαρτέρει τὰς ἀπειλὰς καὶ τὰς μεγαλαυχίας τῶν Θηβαίων, προκαλουμένων ἐκεῖνον ὀνομαστὶ καὶ διαμάχεσθαι περὶ τῆς χώρας κελευόντων ὃς τῶν κακῶν αἴτιός ἐστιν ἐκκαύσας τὸν πόλεμον.* — Cum in Pelopidae vita Thebanos Eurotam flumen transgressos esse breviter perstringatur, in „Epaminonda" id quoque fortasse describebatur, quam difficilis ille transitus fuisset. cf. Ages. 32, 1—2: *Ὁ δ' Ἀγησίλαος, ἐπιχειρούντων διαβαίνειν τὸν ποταμὸν τῶν πολεμίων καὶ βιάζεσθαι πρὸς τὴν πόλιν, ἐκλιπὼν τὰ λοιπὰ παρετάξατο πρὸ τῶν μέσων καὶ ὑψηλῶν. ἐρρύη δὲ πλεῖστος ἑαυτοῦ καὶ μέγιστος τότε ὁ Εὐρώτας, χιόνων γενομένων, καὶ τὸ ῥεῦμα μᾶλλον ὑπὸ ψυχρότητος ἢ τραχύτητος ἐγένετο σκληρὸν καὶ χαλεπὸν τοῖς Θηβαίοις.* — Non minus ea, quae sequuntur, in „Epaminonda" exstitisse arbitror, quae ex hoc opere in „Agesilaum" translata esse mihi videri iam supra p. 13 dixi: *Πορευόμενον δὲ πρῶτον τῆς φάλαγγος τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἐδείκνυσάν τινες τῷ Ἀγησιλάῳ· κἀκεῖνος, ὡς λέγεται, πολὺν χρόνον ἐμβλέψας αὐτῷ καὶ συμπαραπέμψας τὴν ὄψιν, οὐδὲν ἢ τοσοῦτον μόνον εἶπεν „ὦ τοῦ μεγαλοπράγμονος ἀνθρώπου".* — Epaminondae non contigisse, ut hoc impetu urbem expugnaret, ne in eius quidem vita omissum esse potest. Qua de re in „Agesil." 32, 3 haec legimus: *Ἐπεὶ δὲ φιλοτιμούμενος ὁ Ἐπαμεινώνδας ἐν τῇ πόλει μάχην συνάψαι καὶ στῆσαι τρόπαιον οὐκ ἴσχυσεν ἐξαγαγεῖν οὐδὲ προκαλέσασθαι τὸν Ἀγησίλαον, ἐκεῖνος μὲν ἀναζεύξας πάλιν ἐπόρθει τὴν χώραν.*

Ex Laconica Epaminondas apud Plutarchum quoque statim ad Messenen restituendam se contulit; cf. Paus. IX, 14, 5: *... ὡς οὐκ ἀντεπῆγεν Ἀγησίλαος μαχούμενος, οὕτω πρὸς τὸν οἰκισμὸν τρέπεται Μεσσήνης· καὶ οἰκιστὴς Μεσσηνίοις τοῖς νῦν ἐστιν Ἐπαμεινώνδας.* Tamen quid hac de re scripserit, non iam cognosci potest. Nam ipse in ceteris operibus perpauca tradit. cf. Pelop. c. 24, 5: *Ἐν ἐκείνῃ τῇ στρατείᾳ ... τὴν ... Μεσσηνίαν χώραν νεμομένων Σπαρτιατῶν ἀποτεμόμενοι τοὺς παλαιοὺς Μεσσηνίους ἐκάλουν καὶ κατῆγον Ἰθώμην συνοικίσαντες,* et „de se ips. citr. invid. laud." c. 4 p. 540d–e: *... οὐκ εὐθὺς ἐπανῆλθον ἀλλ' εἰς τὴν Λακωνικὴν*

ἐνέβαλον καὶ τὰ περὶ Μεσσήνην διῴκησαν, ... ὅτι τὴν Λακωνικὴν διεπόρθησε καὶ τὴν Μεσσήνην ᾤκισε. ... Pausanias autem IX, 14, 5, ubi de Messenae restitutione ei agendum erat, ad quartum librum (c. 26 sq.) nos revocat: *... οὕτω πρὸς τὸν οἰκισμὸν τρέπεται Μεσσήνης· καὶ οἰκιστὴς Μεσσηνίοις τοῖς νῦν ἐστιν Ἐπαμεινώνδας· καί μοι τὰ ἐς τὸν οἰκισμὸν ἐδήλωσε τὰ ἐς αὐτοὺς ἔχοντα Μεσσηνίους,* quo loco, ut supra (p. 23) demonstravi, Pausanias alium auctorem secutus est. Quamquam fortasse non pauca ex eis, quae illic scripta sunt, in Plutarchi quoque opere exstitisse possunt, tamen omnino non perspici potest, quid sit ei tribuendum, atque usu carere mihi videtur multis hac in quaestione morari. Statim ad sequentia transgredi mihi liceat.

Qua causa Epaminondas commotus sit, ut exercitum domum reduceret, a Pausania hoc modo explicatur (IX, 14, 6): *Ἐν τούτῳ δὲ οἱ τῶν Θηβαίων σύμμαχοι κατέτρεχον διασκεδασθέντες χώραν τὴν Λακωνικὴν καὶ ἥρπαζον τὰ ἐξ αὐτῆς· τοῦτο Ἐπαμεινώνδᾳ παρέστησεν ὀπίσω Θηβαίους ἐς Βοιωτίαν ἀπαγαγεῖν.* Quae stulta fere et perversa videntur, si Pausaniam solum spectamus. Nam quamquam Thebanorum socios, Arcades, Argivos, Eleos, Epaminonda absente Laconicam vastare perrexisse facile est ad credendum, tamen ille hac re ad proficiscendum ex Messenia adduci omnino non potuit. Nunc vero Xenophon eodem fere modo explicat, cur Thebani ex Laconica excesserint (Hell. VI, 5, 50): *Τῶν δ' ἐν τῇ Λακεδαίμονι πολεμίων Ἀρκάδες μὲν καὶ Ἀργεῖοι καὶ Ἠλεῖοι πολλοὶ ἀπεληλύθεσαν, ἅτε ὅμοροι οἰκοῦντες, οἱ μὲν ἄγοντες οἱ δὲ φέροντες ὅτι ἡρπάκεσαν. οἱ δὲ Θηβαῖοι καὶ οἱ ἄλλοι τὰ μὲν καὶ διὰ τοῦτο ἀπιέναι ἐβούλοντο ἐκ τῆς χώρας, ὅτι ἑώρων ἐλάττονα τὴν στρατιὰν καθ' ἡμέραν γιγνομένην, τὰ δὲ ὅτι σπανιώτερα τὰ ἐπιτήδεια ἦν· τὰ μὲν γὰρ ἀνήλωτο, τὰ δὲ διήρπαστο, τὰ δὲ ἐξεκέχυτο, τὰ δὲ κατεκέκαυτο· πρὸς δ' ἔτι καὶ χειμὼν ἦν, ὥστ' ἤδη πάντες ἀπιέναι ἐβούλοντο,* et Plutarchus in Agesilai vita 32, 8 auctorum quorundam testimonium affert, qui per tres menses hostes in Lacedaemoniorum finibus versatos esse tradiderint: *ἀναχωρῆσαι δὲ τοὺς Θηβαίους ἐκ τῆς Λακωνικῆς οἱ μὲν ἄλλοι λέγουσι χειμώνων γενομένων καὶ τῶν Ἀρκάδων ἀρξαμένων ἀπιέναι καὶ διαρρεῖν ἀτάκτως* (haec est Xenophontis sententia) *οἱ δὲ τρεῖς μῆνας ἐμμεμενηκότας ὅλους καὶ τὰ πλεῖστα τῆς χώρας διαπεπορθηκότας*[1]. Denique Cornelius Nepos

[1] Has sententias re vera non inter se discrepare effugit Plutarchum.

in Iphicratis vita 2, 5 tum demum Thebanos ex Laconica discessisse nuntiat, cum Athenienses duce Iphicrate accedere cognovissent: „*Idem subsidio Lacedaemoniis profectus Epaminondae retardavit impetus. Nam nisi eius adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent..*" Itaque verisimile mihi videtur, cum ipse Epaminondas exigua cum parte exercitus ad Messenios liberandos eorumque urbem condendam proficisceretur, ceteras copias, imprimis sociorum, ad Laconicam prorsus devastandam remansisse, quoad inopia rei frumentariae discedere cogerentur. Ita etiam intellegimus, cur Epaminondas Lacedaemoniorum finibus expilatis domum redire constituerit. Fortasse Plutarchi ipsius verbis clarius haec exponebantur.

Cum Epaminondas Isthmo appropinquaret, Athenienses duce Iphicrate itineri eius officere conati sunt. cf. Xen. Hell. VI, c. 5, 49 sq.; Plut. Pelop. 24, 5; Paus. IX, 14, 6—7. Huc fortasse apophth. 20 referendum est, quo haec traduntur: *Ἀπαγγείλαντος δέ τινος ὡς Ἀθηναῖοι στράτευμα καινοῖς κεκοσμημένον ὅπλοις εἰς Πελοπόννησον ἀπεστάλκασι „τί οὖν" εἶπεν „Ἀντιγενίδας στένει καινοὺς Τέλληνος αὐλοὺς ἔχοντος"; ἦν δὲ αὐλητὴς ὁ μὲν Τέλλης κάκιστος, ὁ δὲ Ἀντιγενίδας κάλλιστος.* Nullo negotio Thebani Atheniensium copias reiecerunt. Attamen cum Xenophon leviora tantummodo proelia commemoret, Plutarchus ad gloriam Epaminondae augendam maiorem victoriam illos adeptos esse videtur finxisse.

cf. Paus. IX, 14, 6—7: *Καὶ ὡς προϊὼν τῷ στρατῷ κατὰ Λέχαιον ἐγίνετο καὶ διεξιέναι τῆς ὁδοῦ τὰ στενὰ καὶ δύσβατα ἔμελλεν, Ἰφικράτης ὁ Τιμοθέου πελταστὰς καὶ ἄλλην Ἀθηναίων ἔχων δύναμιν ἐπιχειρεῖ τοῖς Θηβαίοις· Ἐπαμεινώνδας δὲ τοὺς ἐπιθεμένους τρέπεται καὶ πρὸς αὐτὸ ἀφικόμενος Ἀθηναίων τὸ ἄστυ, ὡς ἐπεξιέναι μαχουμένους τοὺς Ἀθηναίους, ἐκώλυεν Ἰφικράτης, ὁ δὲ αὖθις ἐς τὰς Θήβας ἀπήλαυνε.*

et Pelop. 24, 5: *ἀπιόντες δὲ ἐπ' οἴκου διὰ Κεγχρεῶν Ἀθηναίους ἐνίκων ἐπιχειροῦντας ἀψιμαχεῖν περὶ τὰ στενὰ καὶ κωλύειν τήν πορείαν.* In Pelopida rectius apud Cenchrea pugnatum esse dicitur, non modo, quod Xenophon Hell. VI, 5, 51 idem oppidum appellat, sed quod apud Lechaeum oppidum, quod muris cum Corintho coniunctum erat (Xen. Hell. IV, 4, 7 sq.), exercitus omnino non transire potuit. Quoniam vix est verisimile Plutarchum hic recte, illic perperam scripsisse, Pausaniam, sive quod fontem suum corrigere posse sibi videbatur (etiam postea, c. 15, 4, Epaminondam

apud Lechaeum Lacedaemonios vicisse fingit, cum ceteri auctores Cenchrea scribant), sive alio quodam errore captum, nomen commutavisse putandum est. Non minus a fide abhorret Pausaniam apud Plutarchum scriptum invenisse Thebanos tum victoria parta usque ad Athenas progressos esse. Nam si hoc in Epaminondae vita ille scripsisset, sine dubio in Pelopidae non omisisset, cui non minus hoc gloriae fuisset quam Epaminondae. Fortasse Pausanias ipse vel librarius quidam errore captus pro Corinthiorum urbe Atheniensium posuit, quod, cum eodem loco de Atheniensium copiis ageretur, facillime fieri potuit[1].

Ubi primum Epaminondas Thebas advenit, Plutarcho auctore eum ab inimicis invidia commotis una cum collegis accusatum esse cognoscimus, quod diutius, quam lege permissum erat, imperium retinuissent.

cf. Paus. IX, 14, 5 et 7: § 7 *καὶ δίκην μὲν ἔφυγεν ὑπὲρ θανάτου, διότι ἐβοιωτάρχησεν ἐξήκοντος ἤδη τοῦ χρόνου.*

Plut. „de se ips. citr. invid. laud." p. 540 d: *Θηβαῖοι γοῦν ἐγκαλουμένων τῶν στρατηγῶν ὅτι τοῦ χρόνου τῆς βοιωταρχίας ἐξήκοντος αὐτοῖς οὐκ εὐθὺς ἐπανῆλθον. . . .*

Plut. Pelop. c. 24, 1—2 et 25, 1 sq.: *ὁ.. συγγενὴς καὶ πολιτικὸς φθόνος ἅμα τῇ δόξῃ τῶν ἀνδρῶν συναυξόμενος οὐ καλὰς οὐδὲ πρεπούσας ὑποδοχὰς παρεσκεύαζεν αὐτοῖς. θανάτου γὰρ ἀμφότεροι δίκας ἔφυγον ἐπανελθόντες, ὅτι τοῦ νόμου κελεύοντος ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ παραδοῦναι τὴν βοιωταρχίαν ἑτέροις, ὃν Βουκάτιον ὀνομάζουσι, τέτταρας ὅλους προσεπεβάλλοντο μῆνας. . . .*
Simili ratione etiam in Epaminondae vita inimicorum civium invidiam vituperatam esse puto, atque etiam Meneclidem illum (Pelop. 25, 3 sq.) in eorum numero perhibitum esse verisimile est. Apud Appianum (Syr. 41) et Cornelium Nepotem (Epam. 7, 3) populi scito boeotarchas non obtemperavisse legimus, qui ab inimicis eorum adductus imperium eis abrogavisset ipsosque statim redire iussisset. Sed ut iam supra dixi, haud dubie sua sponte illi vel errore capti vel alia causa rem commutaverunt.

In ipsa actione describenda praedicatum esse videtur, quanto ratio, qua Epaminondas apud iudices se gereret, a ceterorum ducum, imprimis Pelopidae, distulisset. Illi enim, quod suppliciter se prostravissent et precibus iudicum animos commovere conati essent, in magnum periculum venisse dicuntur.

[1] cf. E. v. Stern, G. d. sp. u. th. Heg., p. 180.

cf. „de ips. citr. invid laud.“ c. 4 p. 540e: *Πελοπίδαν μὲν ὑποπίπτοντα καὶ δεόμενον μόλις ἀπέλυσαν* . . .

Appian Syr. 41: *οἱ μὲν ἕτεροι διέφυγον οἴκτῳ τε χρώμενοι καὶ λόγοις πλείοσι, καὶ τὴν αἰτίαν ἐς τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἀναφέροντες*, . . . In Pelopidae vita hoc solum significatur, non satis clare exprimitur. cf. c. 25, 2: *εἰσήχθη μὲν οὖν πρότερος εἰς τὸ δικαστήριον Πελοπίδας, διὸ καὶ μᾶλλον ἐκινδύνευσεν*, . . . Quod in apophth. Epam. 23 = Aelian. v. h. XIII, 42, apud Corn. Nep. Epam. 8, 1, apud Appianum l. c. traditur, Epaminondam collegis suis permisisse, ut omnem causam in se transferrent, etiam Plutarchum scripsisse puto, quamquam recte fortasse Stern[1] observavit, hoc re vera omnino non fieri potuisse.

De ratione, qua Epaminondas ipse causam dixisset, in scripti Plutarchi iam saepius laudati p. 540d—e haec nuntiantur: *Ἐπαμεινώνδου δὲ πολλὰ περὶ τῶν πεπραγμένων μεγαληγορήσαντος, τέλος δὲ φήσαντος ὡς ἕτοιμός ἐστιν ἀποθνήσκειν, ἂν ὁμολογήσωσιν, ὅτι τὴν Μεσσήνην ᾤκισε καὶ τὴν Λακωνικὴν διεπόρθησε καὶ συνέστησεν Ἀρκαδίαν ἀκόντων ἐκείνων.* Fortasse sicut ceteris locis, ubi verba afferuntur, quibus Epaminondas se defenderit, apud Cornelium Nepotem 8, 2, apud Appianum l. c., imprimis in apophth. 23, etiam Plutarchus in Epaminondae vita illum, ut eiusmodi supremus titulus sepulcro inscriberetur, postulantem fecit, fortasse ceteroquin quoque causae dictionis verba eis similia erant, quae in hoc apophthegmate scripta sunt: . . . *ἀξιοῦν, ἂν ἀποκτείνωσιν αὐτόν, ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην, ὅπως οἱ Ἕλληνες εἰδῶσιν ὅτι μὴ βουλομένους Θηβαίους Ἐπαμεινώνδας ἠνάγκασε τὴν Λακωνικὴν πυρπολῆσαι, πεντακοσίοις ἐνιαυτοῖς ἀδῄωτον οὖσαν· οἰκίσαι δὲ Μεσσήνην δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ διακοσίων· συντάξαι δὲ καὶ συναγαγεῖν εἰς ταὐτὸν Ἀρκάδας· ἀποδοῦναι δὲ τοῖς Ἕλλησι τὴν αὐτονομίαν.*

De absolutione omnes simili modo narrant.

cf. Paus. IX, 14, 7: *λέγονται δὲ οἱ δικάζειν λαχόντες οὐδὲ ἀρχὴν περὶ αὐτοῦ θέσθαι τὴν ψῆφον.*

„de se ips. citr. invid. laud.“ c. 4 p. 540e: *οὐδὲ τὰς ψήφους ἀναλαβεῖν ἐπ' αὐτὸν ὑπέμειναν, ἀλλὰ θαυμάζοντες τὸν ἄνδρα καὶ χαίροντες ἅμα καὶ γελῶντες ἀπηλλάγησαν.*

Appian. Syr. 41: *οἱ δικασταὶ δὲ τῷ τε ὀνείδει τοῦ λόγου καὶ θαύματι τῆς ἀπολογίας καὶ αἰδοῖ τοῦ ἀνδρὸς ἀπολογουμένου, τὰς*

[1] G. d. sp. u. th. Heg., p. 170 adn. 1; cf. etiam Swoboda, Rh. Mus. 55, 1900, p. 462 adn. 1.

ψήφους οὐχ ὑποστάντες λαβεῖν, ἐξέδραμον ἐκ τοῦ δικαστηρίου. cf. etiam apophth. 23, Aelian. XIII, 42, Cornel. Nep. 8, 5[1].

3. De altera expeditione Peloponnesiaca.

Paulo post hoc iudicium Xenophon (Hell. VII, 1, 15) et Diodorus (XV, 68, 1) Epaminondam a Thebanis in Peloponnesum missum esse memoriae tradunt. Quamquam Pausanias hanc invasionem post Thessalicam illam expeditionem demum susceptam esse fingit, qua Pelopidas ab Alexandro tyranno captus liberabatur (IX, 15, 1—2 et 4), tamen iam supra (p. 20) explicavi eum Plutarcho auctore res ita perturbatas proferre ab omni verisimilitate abhorrere. Nam magna negligentia ad hoc extremum caput componendum fontem suum exscripsit neque fieri potest, ut eius verbis etiam porro in Plutarchi opere restituendo quasi fundamento utamur.

Secundum Diodorum (XV, 68, 1) Thebani tum exercitum mittere constituerunt, quod denuo Arcades, Argivi, Elei socios eos arcessivissent: *Τούτων δὲ πραχθέντων Ἀρκάδες καὶ Ἀργεῖοι καὶ Ἠλεῖοι συμφρονήσαντες ἔγνωσαν στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Λακεδαιμονίους, καὶ πρεσβεύσαντες πρὸς Βοιωτοὺς ἔπεισαν αὐτοὺς κοινωνεῖν τοῦ πολέμου. οἱ δ' Ἐπαμεινώνδαν καταστήσαντες ἡγεμόνα μετ' ἄλλων βοιωταρχῶν* . . . Eandem causam etiam Plutarchus attulisse potest, nisi forte omnino omisit. Num foedus illud, quod brevi ante inter Athenienses et Lacedaemonios initum erat (cf. Xenoph. VII, 1, 1sq.; Diodor. XV, 67, 1), diserte commemoraverit, disceptari non potest. — Ex Pausaniae verbis IX, 15, 4: *ὡς δὲ βοιωταρχεῖν αὖθις ᾕρητο καὶ στρατῷ Βοιωτῶν ἀφίκετο αὖθις ἐς Πελοπόννησον, ἐκράτησε μὲν περὶ Λέχαιον Λακεδαιμονίους μάχῃ, σὺν δέ σφισιν Ἀχαιῶν Πελληνέας καὶ Ἀθηναίων οὓς Χαβρίας ἦγεν ἐξ Ἀθηνῶν*, conicere licet Plutarchum quoque accuratius descripsisse, quanta imperatoria arte Epaminondas per hostium munimenta, quibus Isthmum intercludere conati essent, perrupisset (cf. Xenoph. VII, 1, 15sq.; Diod. XV,

[1] Quoniam B. Niese, Beiträge zur Geschichte Arkadiens, Herm. 39, 1904, p. 84sq., meo iudicio contra Sievers, Griech. Gesch., p. 392, § 14, recte exposuit Epaminondam et Pelopidam anno 368 demum, alterum in Peloponnesum iterum, alterum primum in Thessaliam, profectos esse neque eos anno 369 boeotarchas fuisse putare neque fontibus, qui uno consensu hanc sententiam impugnant, fidem abrogare cogimur. Neque necesse est omnino negare eos tum in crimen vocatos esse, sicut Beloch, Griech. Gesch. II, 266 adn. 1 et Ed. Meyer, Gesch. d. Alt., V 437 (§ 955 adn.), neque de aliis causis accusationis cogitare, sicut Swoboda l. c. p. 465.

cf. „de ips. citr. invid laud.“ c. 4 p. 540e: *Πελοπίδαν μὲν ὑποπίπτοντα καὶ δεόμενον μόλις ἀπέλυσαν* . . .

Appian Syr. 41: *οἱ μὲν ἕτεροι διέφυγον οἴκτῳ τε χρώμενοι καὶ λόγοις πλείοσι, καὶ τὴν αἰτίαν ἐς τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἀναφέροντες*, . . . In Pelopidae vita hoc solum significatur, non satis clare exprimitur. cf. c. 25, 2: *εἰσήχθη μὲν οὖν πρότερος εἰς τὸ δικαστήριον Πελοπίδας, διὸ καὶ μᾶλλον ἐκινδύνευσεν*, . . . Quod in apophth. Epam. 23 = Aelian. v. h. XIII, 42, apud Corn. Nep. Epam. 8,1, apud Appianum l. c. traditur, Epaminondam collegis suis permisisse, ut omnem causam in se transferrent, etiam Plutarchum scripsisse puto, quamquam recte fortasse Stern[1] observavit, hoc re vera omnino non fieri potuisse.

De ratione, qua Epaminondas ipse causam dixisset, in scripti Plutarchi iam saepius laudati p. 540d—e haec nuntiantur: *Ἐπαμεινώνδου δὲ πολλὰ περὶ τῶν πεπραγμένων μεγαληγορήσαντος, τέλος δὲ φήσαντος ὡς ἕτοιμός ἐστιν ἀποθνήσκειν, ἂν ὁμολογήσωσιν, ὅτι τὴν Μεσσήνην ᾤκισε καὶ τὴν Λακωνικὴν διεπόρθησε καὶ συνέστησεν Ἀρκαδίαν ἀκόντων ἐκείνων.* Fortasse sicut ceteris locis, ubi verba afferuntur, quibus Epaminondas se defenderit, apud Cornelium Nepotem 8, 2, apud Appianum l. c., imprimis in apophth. 23, etiam Plutarchus in Epaminondae vita illum, ut eiusmodi supremus titulus sepulcro inscriberetur, postulantem fecit, fortasse ceteroquin quoque causae dictionis verba eis similia erant, quae in hoc apophthegmate scripta sunt: . . . *ἀξιοῦν, ἂν ἀποκτείνωσιν αὐτόν, ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην, ὅπως οἱ Ἕλληνες εἰδῶσιν ὅτι μὴ βουλομένους Θηβαίους Ἐπαμεινώνδας ἠνάγκασε τὴν Λακωνικὴν πυρπολῆσαι, πεντακοσίοις ἐνιαυτοῖς ἀδῄωτον οὖσαν· οἰκίσαι δὲ Μεσσήνην δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ διακοσίων· συντάξαι δὲ καὶ συναγαγεῖν εἰς ταὐτὸν Ἀρκάδας· ἀποδοῦναι δὲ τοῖς Ἕλλησι τὴν αὐτονομίαν.*

De absolutione omnes simili modo narrant.

cf. Paus. IX, 14, 7: *λέγονται δὲ οἱ δικάζειν λαχόντες οὐδὲ ἀρχὴν περὶ αὐτοῦ θέσθαι τὴν ψῆφον.*

„de se ips. citr. invid. laud.“ c. 4 p. 540e: *οὐδὲ τὰς ψήφους ἀναλαβεῖν ἐπ' αὐτὸν ὑπέμειναν, ἀλλὰ θαυμάζοντες τὸν ἄνδρα καὶ χαίροντες ἅμα καὶ γελῶντες ἀπηλλάγησαν.*

Appian. Syr. 41: *οἱ δικασταὶ δὲ τῷ τε ὀνείδει τοῦ λόγου καὶ θαύματι τῆς ἀπολογίας καὶ αἰδοῖ τοῦ ἀνδρὸς ἀπολογουμένου, τὰς*

[1] G. d. sp. u. th. Heg., p. 170 adn. 1; cf. etiam Swoboda, Rh. Mus. 55, 1900, p. 462 adn. 1.

ψήφους οὐχ ὑποστάντες λαβεῖν, ἐξέδραμον ἐκ τοῦ δικαστηρίου. cf. etiam apophth. 23, Aelian. XIII, 42, Cornel. Nep. 8, 5[1].

3. De altera expeditione Peloponnesiaca.

Paulo post hoc iudicium Xenophon (Hell. VII, 1, 15) et Diodorus (XV, 68, 1) Epaminondam a Thebanis in Peloponnesum missum esse memoriae tradunt. Quamquam Pausanias hanc invasionem post Thessalicam illam expeditionem demum susceptam esse fingit, qua Pelopidas ab Alexandro tyranno captus liberabatur (IX, 15, 1—2 et 4), tamen iam supra (p. 20) explicavi eum Plutarcho auctore res ita perturbatas proferre ab omni verisimilitate abhorrere. Nam magna negligentia ad hoc extremum caput componendum fontem suum exscripsit neque fieri potest, ut eius verbis etiam porro in Plutarchi opere restituendo quasi fundamento utamur.

Secundum Diodorum (XV, 68, 1) Thebani tum exercitum mittere constituerunt, quod denuo Arcades, Argivi, Elei socios eos arcessivissent: *Τούτων δὲ πραχθέντων Ἀρκάδες καὶ Ἀργεῖοι καὶ Ἠλεῖοι συμφρονήσαντες ἔγνωσαν στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Λακεδαιμονίους, καὶ πρεσβεύσαντες πρὸς Βοιωτοὺς ἔπεισαν αὐτοὺς κοινωνεῖν τοῦ πολέμου. οἱ δ' Ἐπαμεινώνδαν καταστήσαντες ἡγεμόνα μετ' ἄλλων βοιωταρχῶν* . . . Eandem causam etiam Plutarchus attulisse potest, nisi forte omnino omisit. Num foedus illud, quod brevi ante inter Athenienses et Lacedaemonios initum erat (cf. Xenoph. VII, 1, 1sq.; Diodor. XV, 67, 1), diserte commemoraverit, disceptari non potest. — Ex Pausaniae verbis IX, 15, 4: *ὡς δὲ βοιωταρχεῖν αὖθις ᾕρητο καὶ στρατῷ Βοιωτῶν ἀφίκετο αὖθις ἐς Πελοπόννησον, ἐκράτησε μὲν περὶ Λέχαιον Λακεδαιμονίους μάχῃ, σὺν δέ σφισιν Ἀχαιῶν Πελληνέας καὶ Ἀθηναίων οὓς Χαβρίας ἦγεν ἐξ Ἀθηνῶν*, conicere licet Plutarchum quoque accuratius descripsisse, quanta imperatoria arte Epaminondas per hostium munimenta, quibus Isthmum intercludere conati essent, perrupisset (cf. Xenoph. VII, 1, 15sq.; Diod. XV,

[1] Quoniam B. Niese, Beiträge zur Geschichte Arkadiens, Herm. 39, 1904, p. 84sq., meo iudicio contra Sievers, Griech. Gesch., p. 392, § 14, recte exposuit Epaminondam et Pelopidam anno 368 demum, alterum in Peloponnesum iterum, alterum primum in Thessaliam, profectos esse neque eos anno 369 boeotarchas fuisse putare neque fontibus, qui uno consensu hanc sententiam impugnant, fidem abrogare cogimur. Neque necesse est omnino negare eos tum in crimen vocatos esse, sicut Beloch, Griech. Gesch. II, 266 adn. 1 et Ed. Meyer, Gesch. d. Alt., V 437 (§ 955 adn.), neque de aliis causis accusationis cogitare, sicut Swoboda l. c. p. 465.

68, 3—5; Polyaen. II, 3, 9). Idem confirmatur apophth. 9: *Πάλιν δὲ προσάγων τοῖς πολεμίοις, βροντῆς γενομένης καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πυνθανομένων τί σημαίνειν οἴεται τὸν θεόν, „ἐμβεβροντῆσθαι τοὺς πολεμίους“ εἶπεν „ὅτι τοιούτων χωρίων ἐγγὺς ὄντων, ἐν τοιούτοις στρατοπεδεύουσιν“*, quod huc spectare Polyaeni II, 3, 4 ostendit, ubi eadem res his verbis narrari incipitur: *Ἐπαμεινώνδας ὑπερέβαλλεν ἐς Πελοπόννησον. οἱ πολέμιοι κατὰ τὸ Ὄνειον (ἐμβαλόντες) ἐστρατοπεδεύοντο.* Nam si Plutarchus rem leviter perstrinxisset, apophthegma non proposuisset. Quod ad supplendum ex Polyaeni uberiore narratione etiam haec adiungere possumus, quae Plutarchus vix omisit: *ὁ λόγος τοῦ στρατηγοῦ θάρσος ἐνέδωκε τοῖς στρατιώταις, καὶ προθύμως ἠκολούθησαν.* Quomodo impetus ipse descriptus sit, nescimus. Etiamsi Melber[1] Polyaeni locum hanc rem tractantem (II, 3, 9) a Callisthene sumptum esse putat, tamen eius coniectura non satis confirmata esse mihi videtur.

Deinde fortasse commemorabatur, quas urbes Thebani hoc bello expugnassent, qua de re Diodorus haec nuntiat (XV, 69, 1): *Εὐθὺ δὲ ἐπὶ Τροιζῆνα καὶ Ἐπίδαυρον πορευθεὶς τὴν μὲν χώραν ἐδῄωσε, τῶν δὲ πόλεων οὐκ ἐδυνήθη κρατῆσαι διὰ τὸ φρουρὰς ἔχειν ἀξιολόγους, Σικυῶνα δὲ καὶ Φλιοῦντα καί τινας ⟨ἄλλας⟩ πόλεις καταπληξάμενος προσηγάγετο.* — Inter has *τινὰς ἄλλας πόλεις* etiam Phoebia erat, de qua Pausanias ex Plutarchi opere narratiunculam nobiscum communicat. cf. IX, 15, 4: *Θηβαίοις δὲ ἦν καθεστηκὸς τοὺς μὲν ἄλλους, ὁπόσους αἰχμαλώτους ἕλοιεν, ἀφιέναι χρημάτων, τοὺς δὲ ἐκ Βοιωτῶν φεύγοντας ζημιοῦν θανάτῳ· πόλισμα οὖν ἑλὼν Σικυωνίων Φοιβίαν, ἔνθα ἦσαν τὸ πολὺ οἱ Βοιώτιοι φυγάδες συνηγμένοι, ἀφίησι τοὺς ἐγκαταληφθέντας, ἄλλην σφίσιν ἣν ἔτυχε πατρίδα ἐπονομάζων ἑκάστῳ.* Haud dubie hac quoque re narrata Plutarchus praedicare studebat, quanta clementia Epaminondas fuisset, quantopere caedem facere veritus esset.

Plutarchum cladem illam Thebanorum ante Corinthi urbis portas acceptam (Xenoph. VII, 1, 18—19; Diod. XV c. 69) non omisisse ex apophth. 19 apparet: *Τοῦ δὲ Χαβρίου περὶ Κόρινθον ὀλίγους τινὰς τῶν Θηβαίων ὑπὸ τὰ τείχη φιλομαχοῦντας καταβαλόντος καὶ στήσαντος τρόπαιον, ὁ Ἐπαμεινώνδας καταγελῶν ἔφη „ἐνταῦθα δεῖ οὐ τρόπαιον ἀλλὰ Ἑκατήσιον ἑστάναι“· τὴν γὰρ Ἑκάτην ἐπιεικῶς ἐν ταῖς πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρύοντα τριόδοις.* Quamquam levius etiam

[1] Über die Quellen und den Wert der Strategemensammlung Polyäns. Jahrb. f. kl. Phil. Suppl. XIV, p. 547—48, 550; cf. supra p. 47.

quam Xenophon hoc proelium Plutarchus descripsit, tamen eo cum Diodoro consentit, quod non Corinthiis, sicut Xenophon, sed Atheniensibus victoriam tribuit.

Posthaec Xenophon VII, 1, 20 et Diodorus XV, 70, 1 Lacedaemoniis a Dionysio Maiore tyranno auxilia submissa esse narrant, quae Thebanis non parvum detrimentum attulissent. Num Plutarchus quoque haec commemoraverit, nescimus.

Postquam exercitus Thebas revertit, Epaminondas iisdem inimicis auctoribus denuo accusatus est, quod in proelio illo apud Cenchrea vel Lechaeum facto occasione data Lacedaemonios non ad internecionem cecidisset. Solo a Diodoro paulo accuratius de hac accusatione docemur. Tamen Plutarchum quoque in Epaminonda hanc rem commemoravisse Pelopidae vitae (28, 1) verbis *δι' ὀργήν τινα πρὸς τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἑτέρους ἀποδείξαντες ἄρχοντας* (sc. ad Pelopidam captivum liberandum) confirmatur. Quoniam Diodorus Callisthene auctore hic usus est, ut supra demonstrare conatus sum (p. 44), Plutarchum simile aliquid nuntiavisse licet putare. Haec sunt eius verba (XV, 72, 1—2): *ἐπιζητουμένης δὲ τῆς αἰτίας, πῶς ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ ἰδιώτης ὢν ἐστρατεύετο μετὰ τῶν εἰς Θετταλίαν ἀποσταλέντων, ἀποδοτέον τὸν οἰκεῖον λόγον τῆς ἀπολογίας. τῇ μάχῃ τῇ περὶ Κόρινθον Ἐπαμεινώνδας διακόψας τὴν ἐπὶ τοῦ προτειχίσματος φυλακὴν τῶν Λακεδαιμονίων, καὶ δυνάμενος πολλοὺς ἀνελεῖν τῶν πολεμίων, ἠρκέσθη τῷ προτερήματι καὶ τῆς ἐπὶ πλεῖον μάχης ἀπέστη. γενομένης δὲ περὶ αὐτὸν ἱκανῆς ὑποψίας ὡς πεφεισμένον τῶν Λακεδαιμονίων ἰδίας ἕνεκα χάριτος, οἱ φθονοῦντες αὐτοῦ τῇ δόξῃ καιρὸν ἔλαβον εὐλόγου διαβολῆς. ἐπενεγκάντων οὖν αὐτῷ προδοσίας ἔγκλημα, τὸ πλῆθος παροξυνθὲν ἀπέστησεν αὐτὸν τῆς βοιωταρχίας, καὶ ἰδιώτην ποιῆσαν ἐξαπέστειλε μετὰ τῶν ἄλλων.*

Ad hoc tempus haud dubie illud de Meneclide dictum in Pelop. 25, 4 spectat: *Ἐπαμεινώνδαν μὲν οὖν ἐξέκρουσε τῆς βοιωταρχίας καὶ κατεπολιτεύσατο πολὺν χρόνον.* Hunc virum, cuius natura in Pelop. 25, 3 ita describitur: *Μενεκλείδας ὁ ῥήτωρ ἦν μὲν εἷς τῶν μετὰ Πελοπίδου καὶ Μέλωνος εἰς τὴν Χάρωνος οἰκίαν συνελθόντων, ἐπεὶ δὲ τῶν ἴσων οὐκ ἠξιοῦτο παρὰ τοῖς Θηβαίοις,*

[1] Cum ceteri auctores Dionysium tum Lacedaemoniis in Graeciam identidem auxilia misisse tradant, legimus apud Plutarchum Pelop. 31, 4: *ἐν οἷς χρόνοις* (sc. Epaminondae et Pelopidae) *Λακεδαιμόνιοι Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ στρατηγοὺς καὶ ἁρμοστὰς ἔπεμπον . . .*, quod nullo modo comprobatur. Nescio an hic errore sive ipsius Plutarchi sive librarii cuiusdam res depravata sit.

δεινότατος μὲν ὢν λέγειν ἀκόλαστος δὲ καὶ κακοήθης τὸν τρόπον, ἐχρῆτο τῇ φύσει πρὸς τὸ συκοφαντεῖν καὶ διαβάλλειν τοὺς κρείττονας, οὐδὲ μετὰ δίκην ἐκείνην παυσάμενος . . ., etiam in Epaminondae vita inter illius inimicos atque malignos primas partes egisse certum est. cf. etiam „praecept. ger. rei publ.“ c. 10 p. 805 c: *Τὸ μὲν γὰρ ἀνδρὶ χρηστῷ καὶ δι' ἀρετὴν πρωτεύοντι προσμάχεσθαι κατὰ φθόνον, ὡς Περικλεῖ Σιμμίας . . . Ἐπαμεινώνδᾳ δὲ Μενεκλείδης ὁ ῥήτωρ, οὔτε πρὸς δόξαν καλὸν οὔτ' ἄλλως συμφέρον.* Haud dubie nonnullae narratiunculae quoque de hac inimicitia commemorabantur sicut haec in scripti „de se ipsum citra invidiam laudando“ c. 9 p. 542 b—c: *Ὅθεν καὶ Ἐπαμεινώνδας, Μενεκλείδου ποτὲ χλευάζοντος αὐτὸν ὡς μεῖζον τοῦ Ἀγαμέμνονος φρονοῦντα, „δι' ὑμᾶς γ'“ εἶπεν „ὦ ἄνδρες Θηβαῖοι, μεθ' ὧν μόνον ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ κατέλυσα τὴν Λακεδαιμονίων ἀρχήν“.* Idem profert Cornelius Nepos Epam. 5, 5—6 atque alia nonnulla.

Etiam quam aequo animo Epaminondas eiusmodi inimicitias tulisset, in vita omissum esse non potest. cf. Pelop. 25, 2: *Τὸ δὲ συκοφάντημα καὶ τὴν πεῖραν Ἐπαμεινώνδας ἤνεγκε πράως, μέγα μέρος ἀνδρείας καὶ μεγαλοψυχίας τὴν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀνεξικακίαν ποιούμενος,* et fortasse tantam hanc patientiam philosophiae eius studiis tribuit. Huc fabella quoque illa in „praeceptis rei publicae gerendis“ (c. 15 p. 811 b) nescio an revocanda sit, quamquam certe haec sententia probari non potest: *καὶ τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἐπαινοῦσιν, ὅτι φθόνῳ καὶ πρὸς ὕβριν ἀποδειχθεὶς τελέαρχος ὑπὸ τῶν Θηβαίων οὐκ ἠμέλησεν, ἀλλ' εἰπὼν ὡς οὐ μόνον ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσιν ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἀνήρ, εἰς μέγα καὶ σεμνὸν ἀξίωμα προήγαγε τὴν τελεαρχίαν, οὐδὲν οὖσαν πρότερον, ἀλλ' ἢ περὶ τοὺς στενωποὺς ἐκβολῆς κοπρίων καὶ ῥευμάτων ἀποτροπῆς ἐπιμέλειάν τινα.* Nostris temporibus nonnullis viris doctis[1] dubitatio allata est, num hoc officium, quod in urbibus Graecis magni momenti sine dubio fuisset, tam turpe visum esset. Neque tamen meo iudicio haec est causa, cur improbemus, quod nobis traditum est. Nam quod munus, cuius est lutum et illuvium ex vicis angiportisque removere, non gloriosissimum putabatur, mihi quidem non mirum videtur et praeterea alibi quoque non raro negotia summo usu inhonesta existimata esse scimus.

---

[1] W. Vischer, Kleine Schriften I, Epaminondas, p. 285 adn. 1; Swoboda, PW RE. V, 2693.

Num concilium illud Graecorum, quod paulo post hanc expeditionem Ariobarzane auctore a Philisco Abydeno Delphos ad pacem faciendam convocabatur (Xen. VII, 1, 27; Diod. XV, 70, 2), a Plutarcho diserte commemoratum sit, non liquet, quoniam Epaminondam, qui tum auctoritate omnino carebat, huic rei se interposuisse non verisimile est.

4. De expeditionibus Thessalicis.

Eodem tempore, quo Epaminondas iterum in Peloponnesum invasit, Pelopidas primum ad Thessalos contra Alexandrum Pheraeorum tyrannum adiuvandos profectus erat, qua in expeditione etiam in Macedonicas res se interponebat (cf. Pelop. c. 26). Haec in Epaminondae quoque vita paucis significanda erant. In qua quoniam nemo dubitare potest, quin Plutarchus sicut in Pelopidae commemoraverit Philippum Macedonicum tum a Pelopida obsidem Thebas latum Epaminondae aemulatorem factum esse, aliter intelligi non potuit, quo modo ille Thebas venisset. Qua de re in Pelop. 26, 4—5 haec feruntur:

Ἐλθὼν δὲ (sc. *εἰς Μακεδονίαν*) *καὶ διαλύσας τὰς διαφορὰς καὶ καταγαγὼν τοὺς φεύγοντας, ὅμηρον ἔλαβε τὸν ἀδελφὸν τοῦ βασιλέως Φίλιππον καὶ τριάκοντα παῖδας ἄλλους τῶν ἐπιφανεστάτων, καὶ κατέστησεν εἰς Θήβας* . . . . *οὗτος ἦν Φίλιππος ὁ τοῖς Ἕλλησιν ὕστερον πολεμήσας ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας, τότε δὲ παῖς ὢν ἐν Θήβαις παρὰ Παμμένει δίαιταν εἶχεν. ἐκ δὲ τούτου καὶ ζηλωτὴς γεγονέναι ⟨τισὶν⟩ ἔδοξεν Ἐπαμεινώνδου, τὸ περὶ τοὺς πολέμους καὶ τὰς στρατηγίας δραστήριον ἴσως κατανοήσασιν, ὃ μικρὸν ἦν τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἀρετῆς μόριον· ἐγκρατείας δὲ καὶ δικαιοσύνης καὶ μεγαλοψυχίας καὶ πραότητος, οἷς ἦν ἀληθῶς μέγας ἐκεῖνος, οὐδὲν οὔτε φύσει Φίλιππος οὔτε μιμήσει μετέσχεν.*

Postero anno postquam Epaminondae boeotarchia abrogata est, Pelopidas et Ismenias legati, exercitum non ducentes, in Thessaliam profecti ab Alexandro capti sunt (cf. Pelop. c. 27). Quamquam in Epaminondae vita non accurate expositum esse potest, quomodo tyranno hoc contigisset, tamen ex Pausaniae verbis hoc paucis quidem significatum neque minus Alexandri improbitatem et perfidiam increpitas esse apparet (IX, 15, 1): *Μετὰ δὲ ταῦτα ἐν Θεσσαλίᾳ δυναστεύων Ἀλέξανδρος Πελοπίδαν ἐλθόντα — ἀφίκετο δὲ ὡς παρὰ ἄνδρα ἰδίᾳ τε εὔνουν αὐτῷ καὶ*

Θηβαίων φίλον τῷ κοινῷ — παραγενόμενον ⟨δὴ⟩ τὸν Πελοπίδαν ὁ Ἀλέξανδρος δήσας εἶχεν ὑπὸ ἀπιστίας τε καὶ ὕβρεως.

Cum illos viros praecipue Epaminondae imperatoria virtute liberatos esse traditum sit, Plutarchum in eius vita de expeditionibus, quas Thebani ad hunc finem susceperunt, uberius egisse licet putare, atque cum fontes, qui imprimis in nostro proposito sunt spectandi (Paus. IX, 15, 1—2; Plut. Pelop. c. 28—29; „an seni sit ger. respubl.“ c. 27 p. 797a–b; „quaest. conviv.“ V, 6 p. 680b; Diodor. (Callisthene auctore; cf. supra p. 40 sq.) XV, 71; Cornel. Nep. Ep. 7, 1; Pelop. 5, 1—2; apophth. Epam. 17), multa de eis tradant, satis clare, quid scripserit, cognosci possumus. — Primum commemorandum erat Thebanos statim exercitum exstruxisse, cui Epaminondas miles ordinarius tributum esset.

cf. Paus. IX, 15, 1: *Θηβαῖοι δὲ ἐπεξιέναι παραυτίκα ἐπὶ τὸν Ἀλέξανδρον ὥρμηντο. ἡγεμόνας μὲν οὖν τῆς ἐξόδου Κλεομένην καὶ Ὕπατον ἐποιήσαντο βοιωταρχοῦντας ἐν τῷ τότε· Ἐπαμεινώνδᾳ δὲ συνέβαινεν ἐν τοῖς στρατευομένοις τετάχθαι.*

et Pelop. vit. 28, 1: *Οἱ μὲν οὖν Θηβαῖοι ταῦτ' ἀκούσαντες ἔφερον βαρέως καὶ στρατιὰν ἐξέπεμπον εὐθύς, δι' ὀργήν τινα πρὸς τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἑτέρους ἀποδείξαντες ἄρχοντας.*

Alexander, ubi primum hunc exercitum accedere audivit, statim legatos Athenas misit et Athenienses commovit, ut foedus secum inirent et auxilia mitterent.

cf. Diod. XV, 71, 3: *Θηβαίων δ' ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσι παροξυνθέντων, καὶ ταχέως εἰς τὴν Θεσσαλίαν ἐκπεμψάντων ὁπλίτας μὲν ὀκτακισχιλίους, ἱππεῖς δ' ἑξακοσίους, φοβηθεὶς Ἀλέξανδρος ἐξέπεμψε πρεσβευτὰς εἰς τὰς Ἀθήνας περὶ συμμαχίας. ᾧ παραχρῆμα ὁ δῆμος ἐξέπεμψε ναῦς μὲν τριάκοντα, στρατιώτας δὲ χιλίους, ὧν ἦν στρατηγὸς Αὐτοκλῆς.*

quod Plutarchum non omisisse ex apophth. 17 colligendum est: *Ἐπεὶ δὲ Ἀλέξανδρον τὸν Φεραίων τύραννον πολέμιον ὄντα Θηβαίων Ἀθηναῖοι φίλον ἐποιήσαντο καὶ σύμμαχον ὑποσχόμενον αὐτοῖς ἡμιωβολίου τὴν μνᾶν κρεῶν ὤνιον παρέξειν, „ἡμεῖς δὲ“ ἔφη ὁ Ἐπαμεινώνδας „ξύλα προῖκα παρέξομεν Ἀθηναίοις ἐπὶ τὰ κρέα ταῦτα· τὴν γὰρ χώραν αὐτῶν τεμοῦμεν, ἂν πολυπραγμονῶσι.“*

At vero quo in orationis contextu hoc dictum collocandum sit, non prorsus certum est, quoniam tum, cum foedus illud fiebat, miles gregarius erat atque tanta verba pronuntiare vix occasio ei data erat. Conferatis etiam hac de re Pelop. 31, 4: . . . *ἐν οἷς*

χρόνοις . . . . . . Ἀθηναῖοι . . . μισθοδότην Ἀλέξανδρον εἶχον καὶ χαλκοῦν ἵστασαν ὡς εὐεργέτην.

Deinde narrabatur, quantas in difficultates Thebanorum exercitus paulo post imperatorum inertia et imperitia venisset.

cf. Paus. 15, 2: *γεγονυίας δὲ ἐκτὸς Πυλῶν οἱ τῆς δυνάμεως ἐπιτίθεταί σφισιν ἐν δυσχωρίαις λοχήσας ὁ Ἀλέξανδρος.*

et Plut. Pelop. 29, 1: *Ἐπεὶ δὲ οἱ στρατηγοὶ τῶν Θηβαίων εἰς τὴν Θετταλίαν ἐμβαλόντες ἔπραξαν οὐδέν, ἀλλὰ δι' ἀπειρίαν ἢ δυστυχίαν αἰσχρῶς ἀνεχώρησαν,* . . .

Plurima tamen Diodorus de hac expeditione narrat (XV, 71, 4—5): *Ἐν ὅσῳ δὲ οὗτος* (sc. *Αὐτοκλῆς*) *περιέπλει τὴν Εὔβοιαν, Θηβαῖοι κατήντησαν εἰς Θετταλίαν. τοῦ δ' Ἀλεξάνδρου πεζὴν δύναμιν ἠθροικότος καὶ ἱππεῖς πολλαπλασίους ἔχοντος τῶν Βοιωτῶν, τὸ μὲν πρῶτον οἱ Βοιωτοὶ διὰ μάχης ἔκρινον λῦσαι τὸν πόλεμον, συνέργους ἔχοντες τοὺς Θετταλούς· ὡς δ' οὗτοι μὲν αὐτοὺς ἐγκατέλιπον, Ἀθηναῖοι δὲ καί τινες ἄλλοι σύμμαχοι παρεγένοντο τῷ Ἀλεξάνδρῳ, τὰ δὲ σῖτα καὶ ποτὰ καὶ τἄλλα πάντα ἐπέλειπε τοῖς Βοιωτοῖς, ἔγνωσαν οἱ βοιωτάρχαι τὴν εἰς οἶκον ἐπάνοδον ποιεῖσθαι· ἀναζευξάντων δ' αὐτῶν, καὶ τῆς πορείας οὔσης διὰ χώρας πεδιάδος, Ἀλέξανδρος ἐπηκολούθει πολλοῖς ἱππεῦσι καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς οὐραγίας ἐπέθετο. τῶν δὲ Βοιωτῶν οἱ μὲν κατακοντιζόμενοι συνεχῶς ἀπέθνησκον, οἱ δὲ τραύμασι περιέπιπτον, τέλος δ' οὔτε μένειν οὔτε προάγειν ἐώμενοι εἰς πολλὴν ἀμηχανίαν ἐνέπιπτον, ἅτε δὴ καὶ τῶν ἐπιτηδείων σπανιζόντων.*

Etiam qua ratione et quibus artibus imperatoriis Epaminondas populares ex hac rerum difficultate servavisset, similiter copiose a Plutarcho expositum esse potest atque a Diodoro; qua de causa eius dicta afferre mihi liceat, paucis ex ceteris fontibus adiunctis.

cf. XV, 71, 6—7: *Ἤδη δ' αὐτῶν τὴν σωτηρίαν ἀπογινωσκόντων, Ἐπαμεινώνδας ἰδιωτεύων κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν κατεστάθη στρατηγός.* (Pausanias l. c. dicit: *οἱ βοιωτάρχαι παραχωροῦσιν ἑκουσίως τῆς ἀρχῆς.* Ex scripti „an seni sit. ger. res publ.“ p. 797 a–b adici potest: *ἀνακληθεὶς ἐκ τῶν ὁπλιτῶν πρῶτον μὲν ἔπαυσε θαῤῥύνας τὸν τοῦ στρατεύματος τάραχον καὶ φόβον.*) *εὐθὺς δὲ διαλέξας τούς τε ψιλοὺς καὶ τοὺς ἱππεῖς, τούτους μὲν αὐτὸς ἀνέλαβε, καὶ ταχθεὶς ἐπὶ τῆς οὐραγίας διὰ τούτων ἀνέστελλε τοὺς ἐπακολουθοῦντας πολεμίους καὶ πολλὴν ἀσφάλειαν παρείχετο τοῖς προηγουμένοις ὁπλίταις, ποιούμενος δὲ μάχας ἐξ ὑποστροφῆς καὶ τάξει φιλοτέχνῳ χρώμενος διέσωσε τὸ στρατόπεδον. ἀεὶ δὲ μᾶλλον διὰ τῶν κατορθωμάτων αὔξων τὴν ἰδίαν εὐδοξίαν μεγάλης ἀποδοχῆς ἐτύγχανε*

παρά τε τοῖς πολίταις καὶ τοῖς συμμάχοις. οἱ δὲ Θηβαῖοι τοὺς τότε βοιωταρχήσαντας καταδικάσαντες πολλοῖς χρήμασι ἐζημίωσαν. (cf. Plut. Pelop. 29, 1: *ἐκείνων μὲν ἕκαστον ἡ πόλις μυρίαις δραχμαῖς ἐζημίωσεν.*)

In Pelopidae vita haec prima expeditio Thessalica eodem quoque anno altera invasione excepta videtur esse (cf. c. 29, 1). Idem etiam in Epaminondae factum esse Pausaniae ex verbis colligendum est. Cuius auctor nisi eas continuo quasi uno bello susceptas tractavisset, ipse eas inter se confundere non potuit (cf. 15, 2). Res vere ita gestas esse B. Niese nuper (Herm. 39, 1904, p. 103) aliis quoque argumentis allatis contra plerorumque sententias demonstravisse mihi videtur. Quae de hac secunda expeditione scimus, sola ex Pelopidae vita hausta sunt, cum Diodorus obiter eam perstrinxerit (XV, 75, 2). Attamen cum in hoc opere accuratissime omnia explicentur atque Epaminondae ipsi eiusque rationi belli gerendi summa laus tribuatur, in eius ipsius vita non multo aliter res descriptas esse puto.

cf. c. 29, 1: .... *ἐκείνων μὲν ἕκαστον ἡ πόλις μυρίαις δραχμαῖς ἐζημίωσεν, Ἐπαμεινώνδαν δὲ μετὰ δυνάμεως ἀπέστειλεν. 2. Εὐθὺς οὖν κίνησίς τις μεγάλη Θετταλῶν ἦν ἐπαιρομένων πρὸς τὴν δόξαν τοῦ στρατηγοῦ, καὶ τὰ πράγματα τοῦ τυράννου ῥοπῆς ἐδεῖτο μικρᾶς ἀπολωλέναι· τοσοῦτος ἐνεπεπτώκει φόβος τοῖς περὶ αὐτὸν ἡγεμόσι καὶ φίλοις, τοσαύτη δὲ τοὺς ὑπηκόους ὁρμὴ πρὸς ἀπόστασιν εἶχε καὶ χαρὰ τοῦ μέλλοντος, ὡς νῦν ἐποψομένους δίκην διδόντα τὸν τύραννον. 3. Οὐ μὴν ἀλλ' Ἐπαμεινώνδας τὴν αὑτοῦ δόξαν ἐν ὑστέρῳ τῆς Πελοπίδου σωτηρίας τιθέμενος, καὶ δεδοικὼς μὴ τῶν πραγμάτων ταραχθέντων ἀπογνοὺς ἑαυτὸν Ἀλέξανδρος ὥσπερ θηρίον τράπηται πρὸς ἐκεῖνον, ἐπηωρεῖτο τῷ πολέμῳ, καὶ κύκλῳ περιιὼν τῇ παρασκευῇ καὶ τῇ μελλήσει κατεσκεύαζε καὶ συνέστελλε τὸν τύραννον, ὡς μήτε ἀνεῖναι τὸ αὔθαδες αὐτοῦ καὶ θρασυνόμενον μήτε τὸ πικρὸν καὶ θυμοειδὲς ἐξερεθίσαι, πυνθανόμενος τὴν ὠμότητα καὶ τὴν ὀλιγωρίαν τῶν καλῶν καὶ δικαίων ...*

Sequuntur exempla nonnulla harum virtutum tyranni, quae in Epaminondae vita exstitisse non verisimile est. Narrari pergitur in § 6:

Οὗτος μέντοι τὴν δόξαν αὐτὴν καὶ τοὔνομα καὶ τὸ πρόσχημα τῆς Ἐπαμεινώνδου στρατηγίας καταπλαγεὶς „ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλος ὣς κλίνας πτερόν", καὶ τοὺς ἀπολογησομένους ταχὺ πρὸς αὐτὸν ἔπεμπεν. ὁ δὲ συνθέσθαι μὲν εἰρήνην καὶ φιλίαν πρὸς τοιοῦτον ἄνδρα Θηβαίοις οὐχ ὑπέμεινε, σπεισάμενος δὲ τριακονθημέρους ἀνοχὰς τοῦ πολέμου καὶ λαβὼν τὸν Πελοπίδαν καὶ τὸν Ἰσμηνίαν ἀνεχώρησεν.

Deinde fortasse commemorabatur Epaminondam hoc optimo eventu priorem auctoritatem recuperavisse.

5. De rebus inter expeditiones Thessalicas et pugnam Mantinensem gestis.

Quomodo Plutarchus sequentes res usque ad pugnam Mantinensem descripserit, nullo modo certe cognoscere possumus, cum in fontibus, quibus imprimis niti nobis opus est, in Plutarchi scriptis, nimis pauca inveniamus. Etiamsi quodammodo coniectura ex Xenophonte et Diodoro colligere possumus, quid Plutarchus de hoc tempore nuntiaverit, tamen haec ratio, qua nihil certi efficitur, nulli usui esse mihi videtur. Itaque a continua Plutarchi narratione restituenda desistam et satis habebo pauca illa, quae tradita sunt, afferre et quaerere, quid ex eis de Epaminondae vita concludendum sit.

Primum commemorandum est apophth. 16: *Πρὸς δὲ τοὺς Σπαρτιάτας πολλὰ καὶ μεγάλα τῶν Θηβαίων κατηγορήσαντας „οὗτοι μέντοι" εἶπεν ⟨Ἐπαμεινώνδας⟩ „ὑμᾶς βραχυλογοῦντας ἔπαυσαν".* (idem exstat in scr. „de se ipsum citra invid. laud." c. 16 p. 545 a) Quod, quamquam dubitari potest, ad eum congressum Graecorum pertinere videtur, quem Thebani Pelopida et Ismenia legatis a rege Persarum reversis in suam urbem convocaverant (Xenoph. VII, 1, 39)[1]. Nam paulo ante, cum Philiscus ab Ariobarzane missus Graecos adduxerat, ut Delphos convenirent et de pace consilium haberent, Epaminondas Thebanorum legatus fuisse non potest, quoniam civibus tum in odium quoddam venerat (cf. supra p. 111); postea autem, cum pax vere efficiebatur, Lacedaemonii non aderant (Xen. VII, 4, 6–11; Diod. XV, 76, 3; Plut. Ages. 34, 2). Quodsi hic conventus describebatur, ne id quidem omissum esse potest Pelopidam Susas ad Persarum regem missum esse.

Ad idem tempus etiam apophth. 14 revocari potest, quo narratur, quam honeste Epaminondas largitiones a rege Persarum missas reiecerit. Nam Persarum legatos tum Thebis fuisse a Xenophonte VII 1, 39 traditum est: *Ὡς δὲ οἱ Θηβαῖοι συνεκάλεσαν ἀπὸ τῶν πόλεων ἁπασῶν ἀκουσομένους τῆς παρὰ βασιλέως ἐπιστολῆς*

[1] Nisi forte hoc dictum per se occasione omissa proferebatur. Etiam apophth. 14, de quo statim agam, nescio an quis putet non in rerum gestarum continua narratione, sed solum ad integritatem eius illustrandam quolibet loco commemoratum esse.

καὶ ὁ Πέρσης ὁ φέρων τὰ γράμματα δείξας τὴν βασιλέως σφραγῖδα ἀνέγνω τὰ γεγραμμένα, et Epaminondam paulo post Thessalicas illas expeditiones apud populares multum valuisse ex se intellegitur. At vero certum hoc non est, quoniam etiam postea, anno 366, Diodoro quidem auctore (XV, 76, 3) a Persarum rege per legatos Graeci ad pacem faciendam commoti esse dicuntur[1]. Eo tempore tamen, cum Philiscus ab Ariobarzane missus Graecos convocaverat, quo Ed. Meyer hanc rem refert[2], ideo ea facta esse mihi videtur nequire, quod, ut iam dixi, Epaminondas auctoritate carebat neque cuiquam usui Persis esse poterat. Verba apophthegmatis sunt: *Αὖθις δὲ] τοῦ Περσῶν βασιλέως τρισμυρίους δαρεικοὺς ἀποστείλαντος αὐτῷ, καθήψατο πικρῶς Διομέδοντος, εἰ τοσοῦτον πλοῦν πέπλευκε διαφθερῶν Ἐπαμεινώνδαν· πρὸς δὲ τὸν βασιλέα λέγειν ἐκέλευσεν ὅτι „τὰ συμφέροντα Θηβαίοις φρονῶν ἕξει προῖκα φίλον Ἐπαμεινώνδαν· τὰ δὲ μὴ συμφέροντα πολέμιον“.* Ex Cornel. Nep. Epam. c. 4, 1, quo capite idem multo uberius exponitur, Diomedontem Cyzicenum fuisse cognoscimus. Cetera tamen, quibus ille orationem exornavit, afferre supersedeo, quoniam nulla re Plutarchum hoc similiter copiose descripsisse confirmatur.

De tertia Epaminondae expeditione, quam Xenophon post hoc concilium susceptam narrat (VII, 1, 41 sq.), nullo loco Plutarchus quidquam tradit, quamquam eum hanc, qua rursus illius clementiam et animi magnitudinem laudare, civium invidiam vituperare potuit, omisisse non verisimile est.

Deinde de apophth. 15 agendum est, de quo quomodo sit iudicandum non minus dubium est: *Ἐπεὶ δὲ Ἀργεῖοι μὲν ἐγένοντο σύμμαχοι Θηβαίων, Ἀθηναίων δὲ πρέσβεις εἰς Ἀρκαδίαν παραγενόμενοι κατηγόρουν ἀμφοτέρων. καὶ Καλλίστρατος ὁ ῥήτωρ ὠνείδισε τὸν Ὀρέστην καὶ τὸν Οἰδίποδα ταῖς πόλεσιν, ἐπαναστὰς ὁ Ἐπαμεινώνδας „ὁμολογοῦμεν“ ἔφη „καὶ παρ’ ἡμῖν πατροκτόνον γενέσθαι καὶ παρ’ Ἀργείοις μητροκτόνον· ἀλλὰ τοὺς ταῦτα δράσαντας ἡμεῖς μὲν ἐξεβάλομεν, Ἀθηναῖοι δὲ ὑπεδέξαντο* (cf. etiam „praecept. ger. rei publ.“ c. 14 p. 810 f).

Quibus ex verbis, quamquam non clare dicitur, neque cur Athenienses legatos in Arcadiam miserint neque cur Epaminondas eo venerit, tamen colligendum est Athenienses in animo habuisse Arcades a Thebanorum fide dimovere et in suas partes ducere,

[1] cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt., V p. 449 (§ 961 adn.).
[2] ibid. p. 443 (§ 958 adn.).

cum Epaminondas huic officere studuerit. Cornelii Nepotis verbis in vit. Ep. 6, 1—3, ubi idem narratur, haec sententia quodammodo confirmatur, quamquam rem paulo commutavisse videtur et simul utrumque, et Epaminondam et Callistratum, ad suae civitatis societatem Arcadas adducere studuisse scribit, quod numquam factum esse constat: „⟨*Epaminondas*⟩ *cum in conventum venisset Arcadum, petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent, contraque Callistratus, Atheniensium legatus ..... postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum .....*“ Cum neque Epaminondam umquam ad Arcades legatum venisse neque Athenienses legatos misisse ab alio auctore tradatur, nonnulli viri docti, sicut Stern[1], Scala[2], Swoboda[3], rem plane fictam esse censuerunt. Sed quamquam non diserte traditum est, tamen ex Xenoph. VII, 4, 2—3 hoc factum esse colligere licet, ubi haec narrantur: Lycomedem Mantinensem, cum cognovisset Athenienses sociis Peloponnesiacis exacerbatos esse, quod ad Oropum urbem recuperandam non adiuvissent, in conventu Arcadum popularibus persuasisse, ut illis foedus offerrent, deinde Athenas profectum Athenienses quoque ad suam voluntatem adduxisse, in reditu tamen ab inimicis quibusdam exsulibus interfectum esse. Quae narratio his verbis concluditur: *ἡ μέντοι συμμαχία ὄντως ἐπεραίνετο*, ex quibus quoniam apparet societatem a Lycomede ipso nondum vere ad effectum perductam esse, putare licet paulo post Athenienses legatos in Arcadiam misisse, et cum etiam Xenophon affirmet hoc foedus imprimis ad Arcades a Thebanis abalienandos initum esse (cf. VII, 4, 2: *ἐπειδὴ δὲ λογιζόμενοι εὕρισκον οὐδὲν μεῖον Λακεδαιμονίοις ἢ σφίσιν ἀγαθὸν τὸ Ἀρκάδας μὴ προδεῖσθαι Θηβαίων* . . .), non tam incredibile est illos Epaminondam legavisse, ut hoc prohiberet[4].

Plutarchum in „Epaminonda“ quoque de pace illa paulo post inter civitates Graecas praeter Lacedaemonios facta (Xenoph. VII, 4, 6—11; Diod. XV, 76, 3) agitavisse per se verisimile est, quamquam ex verbis in Ages. vit. 34, 2: *Διὸ καὶ προτεινομένην ὑπὸ τῶν Θηβαίων τὴν εἰρήνην ὁ Ἀγησίλαος οὐκ ἐδέξατο. μὴ βουλόμενος δὲ τῷ λόγῳ προέσθαι τοῖς ἔργῳ κρατοῦσι τὴν χώραν* (sc. *τὴν Μεσσηνίην*), *ἀλλὰ φιλονεικῶν, ἐκείνην μὲν οὐκ ἀπέβαλε* ..., hoc non utique colligendum est.

[1] G. d. sp. u. th. Heg., p. 210 adn. 2.
[2] Staatsverträge des Altertums, I p. 158.
[3] PWRE. V, p. 2695.
[4] cf. Ed. Meyer l. c. p. 449 (§ 961 adn.).

De expeditione navali, quam Epaminondas paucis annis post ad Thebanorum vim et gloriam augendas et ad principatum terra marique obtinendum suscipiebat, de qua solus Diodorus (XV, 78, 4 — 79, 2) accuratius nos docet, in Plutarchi vita prorsus aliter iudicatum esse videtur. Nam cum apud Diodorum omnia in meliorem partem accipiantur et ad laudem Epaminondae vertantur, Plutarchus „Philopoem.“ c. 14, 1—2 haec scribit: *Ἐφ' ὃν εὐθὺς αἱρεθεὶς* (sc. *Φιλοποίμην*) *ἄρχων καὶ ναυμαχίᾳ παραβαλόμενος τὸ τοῦ Ἐπαμεινώνδου παθεῖν ἔδοξε, πολὺ τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς καὶ δόξης ἐν τῇ θαλάττῃ κάκιον ἀγωνισάμενος. πλὴν Ἐπαμεινώνδαν μὲν ἔνιοι λέγουσι ὀκνοῦντα γεῦσαι τῶν κατὰ θάλατταν ὠφελειῶν τοὺς πολίτας, ὅπως αὐτῷ μὴ λάθωσι ἀντὶ μονίμων ὁπλιτῶν κατὰ Πλάτωνα ναῦται γενόμενοι καὶ διαφθαρέντες, ἄπρακτον ἐκ τῆς Ἀσίας καὶ τῶν νήσων ἀπελθεῖν ἑκουσίως . . .*, quibuscum conferatis ambiguum illud oraculum Epaminondae datum apud Pausaniam VIII, 11, 10, quod ex Plutarchi „Epaminonda“ sumptum esse probabilitate non caret (cf. supra p. 21): *Ἐγεγόνει δὲ τῷ Ἐπαμεινώνδᾳ μαντεία πρότερον ἔτι ἐκ Δελφῶν πέλαγος αὐτὸν φυλάσσεσθαι· καὶ ὁ μὲν τριήρους τε μὴ ἐπιβῆναι μηδὲ ἐπὶ νεὼς φορτίδος πλεῦσαι δεῖμα εἶχε, τῷ δὲ ἄρα Πέλαγος δρυμὸν καὶ οὐ θάλατταν προέλεγεν ὁ δαίμων.* Quodammodo hoc cum illorum, qui dicuntur „*ἔνιοι*“, sententia congruere apparet.

Eodem tempore[1] secundum Diodorum (XV, 79, 3) a Thebanis Orchomenus diruebatur et a Plutarcho, qui hanc rem similiter tractavisse videtur (cf. Paus. IX, 15, 3; Pelop. et Marc. comp. 1, 1—2), cognoscimus Epaminondam tum ex expeditione navali nondum revertisse. Quamquam apud Pausaniam hoc factum post Thessalicas Epaminondae expeditiones ad Pelopidam solvendum susceptas narratur, tamen id quoque neglegentiae eius tribuendum esse mihi videtur. Nam cum in Pelop. et Marc. comp. 1, 2 res his verbis commemoretur: *λέγονται δὲ Θηβαῖοι μηδ' Ὀρχομενίους ἂν οὕτω μεταχειρίσασθαι παρόντων ἐκείνων* (sc. *Ἐπαμεινώνδου καὶ Πελοπίδου*), in vita ipsa autem omittatur, Plutarchi sententia Pelopidam tum iam mortuum esse colligendum est. Itaque eum de tempore cum Diodoro consensisse licêt putare. De ipsa re a Diodoro haec nobis tradita sunt:

[1] Quoniam ad mortem Pelopidae ulciscendam non Epaminondam missum esse ex Pelop. vit. 35, 1 cognoscimus (haud dubie tum in maritima expeditione Thebis aberat. cf. Ed. Meyer l. c. p. 461 [§ 967]), eam suo loco narratam esse non utique necesse est, sed obiter quolibet loco commemorata esse potest.

Exules nonnulli Thebani cum equitibus Orchomeniis coniurationem fecerant, ut Thebis populi imperium everterent optimatibusque potentiam redderent, quod consilium boeotarchis prodebatur. Itaque cum eo die, quo propositum illud effici constitutum erat, equites illi ad recensum faciendum Thebas venissent, magistratuum iussu comprehensi et capitis damnati sunt. Thebani ipsi autem statim Orchomenum profecti sunt, qua expugnata et deleta omnes, qui arma ferre poterant, occiderunt, liberos tamen et mulieres sub corona vendiderunt. — Apud Plutarchum Meneclides, inimicus ille Epaminondae et Pelopidae, imprimis huius conatus auctor fuisse videtur. Legimus enim in Pelop. c. 25 eum propter artes quasdam malas a Pelopida in iudicium adductum et pecuniaria poena multatum esse, quam quod solvere non potuisset, postea rem publicam evertere studuisset. cf. c. 25, 7: . . . *ἃ μὴ δυνάμενος ἐκτῖσαι διὰ πλῆθος ὕστερον ἐπεχείρησε κινῆσαι καὶ μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν.* Quibus verbis, quoniam in Pelopidae vita nihil eiusmodi commemoratur, ergo post illius mortem hoc factum esse putandum est, eandem rem significari, quam Diodorus narrat, valde verisimile mihi videtur, praesertim cum de alia coniuratione illa aetate Thebis facta nihil traditum sit.

Locis, quibus Plutarcho auctore huius rei mentio fit, solum praedicatur, quam aegre Epaminondas hanc popularium crudelitatem tulerit.

cf. Paus. IX, 15, 3: *Ἐν ὅσῳ δὲ ἀπῆν ὁ Ἐπαμεινώνδας, Ὀρχομενίους Θηβαῖοι ποιοῦσιν ἀναστάτους ἐκ τῆς χώρας· συμφορὰν δὲ τὴν ἀνάστασιν τὴν Ὀρχομενίων ἐνόμιζεν ὁ Ἐπαμεινώνδας καὶ οὔποτ' ἂν ἐξεργασθῆναι τόλμημα τοιοῦτον αὐτοῦ γε παρόντος ἔφασκεν ὑπὸ Θηβαίων,*

et comp. Pelop. et Marc. 1, 1—2: *Ἐπαμεινώνδας δὲ καὶ Πελοπίδας οὐδένα πώποτε κρατήσαντες ἀπέκτειναν οὐδὲ πόλεις ἠνδραποδίσαντο. λέγονται δὲ Θηβαῖοι μηδ' Ὀρχομενίους ἂν οὕτω μεταχειρίσασθαι παρόντων ἐκείνων.*

Sicut Swobodae (l. c. p. 2697) mihi quoque non recte E. v. Stern[1] de hac Epaminondae indignatione videtur dubitare. Illum virum, qui cives iniudicatos interficere verebatur (de gen. Socr. c. 3 p. 576 f — 577 a), qui post Leuctricam victoriam populares eandem urbem diruere prohibebat (Diodor. XV, 57, 1), qui Phoebiae in oppidulo optimatibus Thebanis exsulibus parcebat (Paus. IX, 15, 4),

[1] G. d. sp. u. th. Heg. p. 224.

qui in Achaia magna clementia utebatur (Xenoph. VII, 1, 42), etiam tantam hanc caedem improbavisse quis est, cui incredibile videatur, praesertim cum ne ex rei publicae quidem usu utique opus fuisset.

6. De ultima expeditione Peloponnesiaca et de Epaminondae morte.

Paulo plura quam de rebus usque adhuc tractatis de extrema Epaminondae expeditione in Peloponnesum suscepta, quomodo Plutarchus quidem eam descripserit, eruditi sumus, quamquam hic quoque plurima in dubio relinquere opus est. Primum quid de belli causis ab eo traditum sit, non plane perspicuum est. Cum in Plutarchi „Agesil.“ c. 34, 3 legamus: *Ἐπεὶ γὰρ οἱ Μαντινεῖς αὖθις ἀπέστησαν τῶν Θηβαίων καὶ μετεπέμποντο τοὺς Λακεδαιμονίους* . . . et apud Pausaniam VIII, 8, 10[1]: *κατελθόντες δὲ* (sc. *ἐς τὴν πατρίδα οἱ Μαντινεῖς*) *οὐ τὰ πάντα ἐγένοντο δίκαιοι· περιληφθέντες*[2] *δὲ ἐπικηρυκευόμενοι Λακεδαιμονίοις καὶ εἰρήνην ἰδίᾳ πρὸς αὐτοὺς ἄνευ τοῦ Ἀρκάδων κοινοῦ πράσσοντες, οὕτω διὰ τὸ δέος τῶν Θηβαίων ἐς τὴν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν μετεβάλοντο ἐκ τοῦ φανεροῦ, καὶ τῆς Μαντινικῆς πρὸς Ἐπαμεινώνδαν καὶ Θηβαίους μάχης Λακεδαιμονίων γινομένης ὁμοῦ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐτάξαντο οἱ Μαντινεῖς,* summum culpae in Mantinenses contulisse videtur: Non sicut Xenophon (VII, 5, 1 sq.) et Diodorus (XV, 82, 2) Arcades in duas partes discessisse dixit, sed Mantinenses ab Arcadum concilio defecisse et seorsum cum Lacedaemoniis pacem inisse. At vero quid singularum rerum commemoratum sit, quae antea in Peloponneso, imprimis Tegeae (Xenoph. VII, 4, 33; Diodor. XV, 82, 1 sq.)[3], accidissent et quibus Thebani ad expeditionem faciendam adducti essent, non liquet.

[1] Cur Pausanias hoc loco a Plutarcho pendere mihi videretur, supra p. 25 exposui.

[2] Quid verbo *περιληφθέντες* significetur, non plane in propatulo est. Tamen nescio an quodammodo ad eandem rem spectet, quam Xenophon VII, 4, 33 narrat.

[3] Si certum esset Ephorum Boeotia memoria in errorem inductum Mantinensibus crimini dedisse (Diod. XV, 82, 1), quod sacras gazas ex Iovis Olympici templo sumptas in suum usum usurpavissent, cum Xenophon (VII, 4, 33) scribat: *πρῶτοι Μαντινεῖς ἀπεψηφίσαντο μὴ χρῆσθαι τοῖς ἱεροῖς χρήμασι*, fortasse etiam ad Plutarchum hoc transferre liceret. Sed facile alia quoque causa apud Diodorum rem ita depravatam invenimus.

Mantinenses non modo cum Lacedaemoniis foedus iunxisse sed etiam Athenienses socios arcessivisse omissum esse non potest atque etiam exercitum eorum apud Mantineam convenisse, Epaminondam autem, postquam in Peloponnesum venisset, Tegeae castra posuisse commemorandum erat.

Deinde de impetu agendum erat, quem ille subito magna cum audacia contra ipsam Spartam suscipiebat. At vero quae in Agesilai vita c. 34, 3 sq. copiosissime de hac re narrantur, ad nostrum propositum non sine ulla dubitatione convertere possumus, quoniam, quod quidem ad primam illius loci partem (3—5) attinet, Xenophon Plutarchi primarius auctor erat. Non modo ex eo hoc apparet, quod nomen eius appellatur (§ 4), sed etiam quod gravioribus rebus cum eo consentit (cf. Xen. VII, 5, 9—14). Imprimis id monendum est: uterque Epaminondam, cum Tegea Spartam proficisceretur, paene praeter Lacedaemoniorum Agesilaique exercitum Sparta in Arcadiam iter facientem transisse fingit, cum ceteri auctores, Diodorus (XV, 82) et Polybius, qui lib. IX, 8 hunc impetum cum Hannibalis Romam facto comparat, Epaminondam solum eum hostium exercitum, qui apud Mantineam (vel apud Tegeam, cf. Diod. 82, 5) collocatus esset, fallere studuisse tradant; et uterque solis Agesilai copiis urbem servatam esse dicit, cum apud illos totus exercitus auxilio accedat. Nihilo minus non omnibus rebus Plutarchus et Xenophon inter se congruunt. Apud Xenophontem Thebanos Mantinensibus ignorantibus profectos esse non invenimus (Ages. 34, 3) neque diserte hic dicit eos nocte iter fecisse, etiamsi ex verbis *δειπνοποιήσασθαι παραγγείλας* (VII, 5, 9) hoc colligi quidem potest. Deinde Agesilaum equitem praemisisse, ut Thebanorum adventum nuntiaret, aliunde Plutarchus cognovit (34, 4) atque etiam Eurotam flumen Epaminondae transgrediendum fuisse (ibid.) ex Xenophontis ipsis verbis non clare elucet. Denique quemadmodum Agesilaus, cuius fortitudinem Plutarchus tanto studio praedicat, ad urbem defendendam contulerit, a Xenophonte, quamquam in urbem eum redisse dicit, non cognoscimus[1]. Quarum

[1] Ad. Bauer l. c. p. 256 de hoc Agesilai vitae capite dicit: „Der Bericht des Plutarch ist, von der Einzelheit über Isidas abgesehen, völlig abhängig von Xenophon, dessen Darstellung in der Lobrede auf Agesilaus, so wenig sie formell mit Xenophon übereinstimmt, dennoch geradezu als alleiniges Material zugrunde liegt. Plutarch hat es hier verstanden, die von Xenophon berichteten Tatsachen geschickt mit dem Helden seiner Biographie in Be-

discrepantiarum, etsi per se nonnullas quidem etiam a Plutarcho ipso effectas esse posse concedendum est, tamen ceteris de alio auctore adhibito cogitare cogimur et, quoniam in hoc capite praeter Xenophontis etiam Callisthenis testimonium affertur (§ 4), Plutarchum alia quoque ab eo deprompsisse facile est ad credendum. Nimirum, quae hoc loco de Agesilai fortitudine summis cum laudibus dicuntur, ei non tribuerim. Nam quamquam regem imprimis bene meritum esse de urbe servata commemoravisse potest, tamen eum tanto studio et tot verbis, ut hostem Thebanorum praedicaret, operam dedisse non verisimile mihi videtur. Sive Plutarchus ipse sua sponte et ex suo ingenio haec adiunxit sive, quod non minus credibile est, in eodem fonte invenit, ex quo hausit, quae de Archidami et Isidae fortissime rebus gestis extremis capitis paragraphis narrat[1].

Si quaerimus, num alibi fortasse Callisthenis vestigia inveniri possint, praeter ceteros Polybii locus (IX, 8) nobis est spectandus, qui neque cum Xenophonte neque cum Diodoro convenit. Quem si cum eis comparamus, quibus Plutarchus a Xenophonte differt, magnam consensionem animadvertimus. Quasi ad Plutarchi verba *λαθὼν τοὺς Μαντινεῖς ἀνέζευξε* (34, 3) illustranda Polybius copiose explicat (§ 2—3), qua belli arte Epaminondas profectionem suam hostes celare studuerit. Sicut Plutarchus hic quoque illum noctu discessisse diserte dicit (3). Cum Plutarchi verbis (4): *οἱ Θηβαῖοι διέβαινον τὸν Εὐρώταν*, conveniunt Polybii: *κατέσχε τῆς πόλεως τοὺς*

ziehung zu bringen ...“ Sed haec sententia probari non potest. Locum illum in laudatione Agesilai (c. 2, 24), quo de impetu Epaminondae ad Spartam facto agitur, ad primum pertinere tam clarum est, ut nemo dubitare possit, etiamsi fortasse ex secundo aliquid orationi insertum est. Minime Plutarchum tam stultum putare possum. ut hanc rem parum intellexerit et ex illo loco hunc in Xenophontis Hellenicis suppleri posse arbitratus sit. Praeterea Plutarchi dicta cum Xenophontis in Ages. 2, 24 omnino non consentiunt atque imprimis ea re inter se differunt, quod Plutarchus praecipue praedicat, quanta fortitudine rex ipsum se hostibus obiecerit, cum Xenophon artem bellicam laudet, qua copias suas distribuerit.

[1] Hunc fuisse eundem Dioscuridem, cuius testimonium de Epaminondae interfectore Plutarchus brevi post (c. 35, 1) affert, Sachse in dissertationis „de fontibus Plutarchi in vita Agesilai“ (Pr. Schwerin 1888) p. 26 recte dicere mihi videtur (quamquam non prorsus cum eo consentio), quem scriptorem in opere suo de re publica Lacedaemoniorum (FHG. II, 192) multas eius generis singulas res de hac aetate tradidisse, ex loco, ubi a Plutarcho commemoratur, colligere licet.

ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἐστραμμένους τόπους (5). Nam si auctor eius haec commemoraverat, flumen antea transeundum fuisse omisisse non potest. Denique Callisthenes Euthynum quendam Thespiensem Agesilao nuntium illum de Epaminondae impetu attulisse memoriae tradidisse Plutarchus auctor est (4), quocum Polybius verbis *τινὸς αὐτομόλου ..... διασαφήσαντος* (6) consentit. Cum insuper apud Polybium praecipue Epaminondae scientia imperatoria praedicetur, valde verisimile mihi videtur Callisthenem eius fontem fuisse, praesertim cum hunc scriptorem eum magni aestimavisse sciamus[1]. Quoniam ex eis, quae supra exposui (p. 12 sq.), Plutarchum in „Agesilao“ magis Epaminondae vitam quam ipsum Callisthenem adhibuisse putare licet, eum in „Epaminonda“ hanc ad rem illo usum esse colligendum est, qua re ex Polybii verbis et eis, quae de Callisthenis explicandi ratione ex „Agesilao“ cognoscere possumus, Plutarchi narratio in „Epaminonda“ aliquo modo restitui posse mihi videtur. Polybius haec scribit (IX, 8, 2—6):

Καθάπερ γὰρ Ἐπαμεινώνδαν τὸν Θηβαῖον θαυμάζουσι πάντες, διότι παραγενόμενος εἰς Τεγέαν μετὰ τῶν συμμάχων, καὶ θεωρήσας τοὺς Λακεδαιμονίους αὐτούς τε πανδημεὶ παραγεγονότας εἰς Μαντίνειαν καὶ τοὺς συμμάχους εἰς ταύτην ἠθροικότας τὴν πόλιν, ὡς παραταξομένους τοῖς Θηβαίοις, δειπνοποιήσασθαι τοῖς αὑτοῦ καθ᾽ ὥραν παραγγείλας ἐξῆγε τὴν δύναμιν ἄρτι τῆς νυκτὸς ἐπιγινομένης ὡς τῆς παρατάξεως χάριν σπεύδων εὐκαίρους τινὰς προκαταλαβέσθαι τόπους, τοιαύτην δὲ τοῖς πολλοῖς δόξαν ἐνεργασάμενος προῆγε, ποιούμενος τὴν πορείαν ἐπ᾽ αὐτὴν τὴν Λακεδαίμονα, προσμίξας δὲ περὶ τρίτην ὥραν τῇ πόλει παραδόξως (ex Plut. Ages. 34, 4 adiungendum est: *οἱ Θηβαῖοι διέβαινον τὸν Εὐρώταν*) *καὶ καταλαβὼν τὴν Σπάρτην ἔρημον τῶν βοηθησόντων, μέχρι μὲν ἀγορᾶς ἐβιάσατο καὶ κατέσχε τῆς πόλεως τοὺς ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἐστραμμένους τόπους.*

Cetera omnia obiter perpaucis verbis perstringuntur: *γενομένης δὲ περιπατείας, καί τινος αὐτομόλου τὴν νύκτα διαπεσόντος ἐς τὴν Μαντίνειαν, καὶ διασαφήσαντος Ἀγησιλάῳ τῷ βασιλεῖ τὸ συμβαῖνον, καὶ τῶν βοηθούντων παραγενομένων εἰς τὸν τῆς καταλήψεως καιρόν, ταύτης μὲν τῆς ἐλπίδος ἀπεσφάλη* ....
neque dubium est, quin non modo ipse Callisthenes, sed etiam Plutarchus copiosius res descripserit. Primum ex „Agesilao“ nomen transfugae illius proditoris addere possumus, quod Callisthene

[1] cf. supra p. 98 adn. 4.

auctore ille nobiscum communicat (4): *Εὐθύνου δὲ Θεσπιέως, ὥς Καλλισθένης φησίν . . . . . . ἐξαγγείλαντος τῷ Ἀγησιλάῳ . . . . . .* deinde: Agesilaum priusquam ipse cum copiis Spartam venerit, incolas equite praemisso monuisse, ut caverent, et ipsum quam celerrime adventurum esse certiores fecisse (ibid.): *ταχὺ προπέμψας ἱππέα τοῖς ἐν τῇ πόλει φράσοντα . . . . . .* Sed etiam, quomodo Thebani certamine victi ex urbe expulsi essent, clarius erat explicandum neque omitti poterat, quamquam, qua ratione hoc factum sit, cui in defendendo plurimum tributum sit, perspicere non possumus.

Deinde a Plutarcho quoque Epaminondam Sparta repulsum statim ad Mantineam improviso occupandam profectum esse haud dubie narrabatur. Attamen, quae in opusculi „de gloria Atheniensium" conditi c. 2 p. 346b—e Euphranoris tabulam quandam pictam[1] describens de hoc impetu explicat, ad nostrum propositum adhibere non possumus, quoniam hic imprimis Atheniensium fortitudinem praedicat, in „Epaminonda" autem sine dubio illius adversam fortunam questus est[2]. Itaque hic quoque Polybii verba afferre mihi liceat, quem ex eodem auctore hausisse atque Plutarchum paulo ante comprobare conatus sum (7—12):

[1] De hac pictura cf. supra p. 22 et A. Schaefer, Demosthenes, III[1], 2, p. 10 sq.

[2] Nescio an Ephorus hic Plutarchi auctor fuerit, praesertim cum verba: *ὑπέδειξε μὲν ὡς αὖθις ἐπὶ λεηλασίαν καὶ φθορὰν τῆς χώρας τρεψόμενος· ἐξαπατήσας δὲ καὶ κατακοιμίσας οὕτω τοὺς πολεμίους ἀνέζευξε νυκτὸς ἐκ τῆς Λακωνικῆς;* . . . mirum in modum consentiant cum strategemate in Diodori XV, 84, 1, quem ab Ephoro hic pendere supra p. 45 demonstrare conatus sum. Neque enim ex eo, quod et Diodorus in c. 84 et Diogenes Laertius II § 54, ubi Ephori testimonium affert (FHG. I p. 213, fr. 146a), proelium equestre cum ipsa pugna confundunt, iam Ephorum idem fecisse colligendum est. De Diogene Laertio cf. A. Schaefer, Demosthenes, III[1], 2, p. 11. Quod attinet ad Diodorum, in c. 84, 1—2 omnia, quae ante hoc proelium facta sunt, rectissime exponuntur et, si hae solae servatae essent, ceteris ipsum proelium non minus recte narratum esse erat exspectandum. In § 3 autem inceptam narrationem subito abrumpit et ad ipsam pugnam describendam transgreditur. Quam male hae capitis partes inter se cohaereant, ex eo imprimis apparet, quod § 4 in numero sociorum Mantinensium Athenienses iterum afferuntur: *τοῖς μὲν οὖν Μαντινεῦσιν ἐβοήθουν Ἠλεῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι καὶ ἄλλοι τινές.* Mirum etiam videtur, quomodo fieri potuerit, ut Lacedaemonii, quos Epaminondas ad solis ortum profectionem celavisse dicitur (cf. c. 84, 1), nihilo minus eodem tempore advenirent. Quibus consideratis non dubito, quin hic proelia illa non vere confusa sint, sed quin inter § 3 et 4 maior minorve particula sive Diodori errore sive alia causa interciderit.

. . . . . μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὸν Εὐρώταν ἀριστοποιησάμενος καὶ προσαναλαβὼν τὴν δύναμιν ἐκ τῆς κακοπαθείας, ὥρμα πάλιν ἐξ ὑποστροφῆς τὴν αὐτὴν ὁδόν, συλλογιζόμενος ὅτι συμβήσεται, τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τῶν συμμάχων παραβεβοηθηκότων εἰς τὴν Σπάρτην, ἔρημον πάλιν καταλείπεσθαι τὴν Μαντίνειαν· ὃ καὶ συνέβη γενέσθαι. διὸ παρακαλέσας τοὺς Θηβαίους καὶ χρησάμενος ἐνεργῷ τῇ νυκτοπορείᾳ παρῆν καὶ προσέμισγε τῇ Μαντινείᾳ περὶ μέσον ἡμέρας, ἐρήμῳ τελέως ὑπαρχούσῃ τῶν βοηθησόντων. οἱ δ' Ἀθηναῖοι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον σπουδάζοντες μετασχεῖν τοῦ πρὸς τοὺς Θηβαίους ἀγῶνος τοῖς Λακεδαιμονίοις κατὰ τὴν συμμαχίαν παρῆσαν. ἤδη δὲ τῆς Θηβαίων πρωτοπορείας συναπτούσης πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν, ὃ κεῖται πρὸ τῆς πόλεως ἐν ἑπτὰ σταδίοις, ὥσπερ ἐπίτηδες συνεκύρησεν ἅμα καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἐπιφαίνεσθαι κατὰ τὸν τῆς Μαντινείας ὑπερκείμενον λόφον· εἰς οὓς ἐμβλέψαντες οἱ καταλελειμμένοι τῶν Μαντινέων μόλις ἐθάρρησαν ἐπιβῆναι τοῦ τείχους καὶ κωλῦσαι τὴν τῶν Θηβαίων ἔφοδον.
Proelium equestre tamen, quo Thebani in fugam coniciebantur, accuratius descriptum esse licet putare.

Quod denique ad ipsam pugnam attinet, qua Epaminondas occisus est, praeter ea, quae ad illius mortem spectant, nihil fere traditum est, quod ad Plutarchi opus referre possumus. Itaque quamquam non dubium est, quin Plutarchus satis copiose de ea agitaverit, tamen nobis obiter rem perstringere opus est.

Ex verbis in Agesilai vitae c. 35, 1: *Ὀλίγαις δ' ὕστερον ἡμέραις περὶ τὴν Μαντίνειαν ἐμαχέσαντο καὶ τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἤδη κρατοῦντα τῶν πρώτων, ἔτι δ' ἐγκείμενον καὶ κατασπεύδοντα τὴν δίωξιν . . . . . .* colligendum est Epaminondam apud Plutarchum quoque primo summa arte imperatoria Lacedaemoniorum aciem prostravisse ita, ut hostes cedere, Thebani autem impetu succedere atque eos persequi coepissent. Etiam quanta virtute ille ipse in primis stetisset, praedicandum erat. De ratione, qua Epaminondas interfectus esset, fortasse simile aliquid nuntiabatur atque in apophth. Lacon. p. 214c (Agesil. apopht. 75): *Ἐν δὲ τῇ περὶ Μαντίνειαν μάχῃ παρεκελεύσατο τοῖς Λακεδαιμονίοις τοὺς ἄλλους ἐάσαντας πάντας Ἐπαμεινώνδᾳ μάχεσθαι, μόνους λέγων τοὺς ἔμφρονας ἀνδρείους εἶναι καὶ μόνους νίκης αἰτίους ὑπάρχειν· „εἰ οὖν τοῦτον ἀνέλοιμεν, ῥᾷστα τοὺς ἄλλους ὑποχειρίους ποιήσειν· ἄφρονας γὰρ εἶναι καὶ οὐδενὸς ἀξίους". ὃ καὶ συνέβη· τῆς γὰρ νίκης σὺν Ἐπαμεινώνδᾳ οὔσης καὶ φυγῆς γενομένης, ἐπιστραφέντα αὐτὸν καὶ ἀνακαλούμενον τοὺς ἰδίους τῶν Λακεδαιμονίων τις καιρίως ἐπάταξε . . . . .*

et apud Cornelium Nepotem Epam. 9, 1: *„Hic (sc. Epaminondas) extremo tempore imperator apud Mantineam cum acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus est a Lacedaemoniis: qui, quod in unius pernicie eius patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt, quam magna caede multisque occisis fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt“.* cf. etiam Diod. 87, 1.

Nec tamen sicut Cornelius Nepos, qui c. 9, 2 scribit: *„Huius casu aliquantum retardati sunt Boeoti; neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt“*, Plutarchus Thebanos, dum hostes devicti essent, pugnare et persequi pergentes fecit, sed recte incerto eventu dimicatum esse iudicavit. Nam Pausanias VIII, 11, 7, ubi a Plutarcho pendet, *λαβόντος δὲ ἴσον τοῦ ἀγῶνος πέρας* scribit[1]. Itaque eum explicavisse verisimile est, quantopere Thebani imperatoris morte commoti et perterriti essent, qui statim quasi attoniti et perturbati, nescientes, quid esset faciendum, a pugna destitissent et victoriam, quam paene iam adepti essent, e manibus dimisissent. cf. Xenoph. VII, 5, 25.

Velut ceteros auctores Plutarchum quoque nuntiavisse Epaminondam vivum ex pugnae tumultu esse exportatum a Pausania cognoscimus. cf. VIII, 11, 7: *ὡς δὲ ἐτέτρωτο ⟨ὁ⟩ Ἐπαμεινώνδας, ἐκκομίζουσιν ἔτι ζῶντα ἐκ τῆς παρατάξεως αὐτόν· ὁ δὲ τέως μὲν τὴν χεῖρα ἔχων ἐπὶ τῷ τραύματι ἐταλαιπώρει καὶ ἐς τοὺς μαχομένους ἀφεώρα — ὁπόθεν δὲ ἀπέβλεπεν ἐς αὐτούς, ὠνόμαζον Σκοπὴν οἱ ἔπειτα —, λαβόντος δὲ ἴσον τοῦ ἀγῶνος πέρας, οὕτω τὴν χεῖρα ἀπέσχεν ἀπὸ τοῦ τραύματος· καὶ αὐτὸν ἀφέντα τὴν ψυχὴν ἔθαψαν, ἔνθα σφίσιν ἐγένετο ἡ συμβολή.* — Quae verba Epaminondas moriturus apud Plutarchum dixerit, cognoscimus ex apophth. 24: *Ἐν δὲ τῇ τελευταίᾳ μάχῃ τρωθεὶς καὶ κομισθεὶς ἐπὶ σκηνὴν ἐκάλει Δαΐφαντον, εἶτα μετ' ἐκεῖνον Ἰολαΐδαν· τεθνάναι δὲ τοὺς ἄνδρας πυθόμενος ἐκέλευε διαλύεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους, ὡς οὐκ ὄντος αὐτοῖς στρατηγοῦ. καὶ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον ἐμαρτύρησεν, ὡς εἰδότος ἄριστα τοὺς πολίτας.*

III. De Epilogo.

Sicut in prima vitae parte etiam in extrema[2] cognoscere nequimus, quam disponendi rationem Plutarchus secutus sit, qua

[1] cf. supra p. 20 sq.
[2] cf. supra p. 49.

de causa hic quoque tantummodo conferre mihi liceat, quae iure quodam ad eam revocari possunt.

De sepultura et de honoribus, qui mortuo illi tributi essent, perpauca tradita sunt. Apud Pausaniam legimus VIII, 11, 7: *καὶ αὐτὸν ἀφέντα τὴν ψυχὴν ἔθαψαν, ἔνθα σφίσιν ἐγένετο ἡ συμβολή.* Incertum est, num columna illa eius sepulcro imposita commemorata sit, de qua Pausanias scribit: *Τῷ τάφῳ δὲ κιών τε ἐφέστηκε καὶ ἀσπὶς ἐπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχουσα ἐπειργασμένον. ὁ μὲν δὴ δράκων ἐθέλει σημαίνειν γένους τῶν Σπαρτῶν καλουμένων εἶναι τὸν Ἐπαμεινώνδαν.* Id quoque nuntiari potuit Caphisodorum eius amatum iuxta eum sepultum esse. cf. Plut. „Amatorii“[1] c. 17 p. 761 d: . . . *Καφισόδωρον, ὃς αὐτῷ συναπέθανεν ἐν Μαντινείᾳ καὶ τέθαπται πλησίον.* Miram tamen illam narratiunculam in vitae Fabii Maximi c. 27, 2: *Ἐπαμεινώνδαν μὲν οὖν Θηβαῖοι δημοσίᾳ διὰ πενίαν, ἣν ἀπέλιπεν ὁ ἀνήρ, ἔθαψαν· οὐδὲν γὰρ οἴκοι τελευτήσαντος εὑρεθῆναι πλὴν ὀβελίσκον σιδηροῦν λέγουσι . . .*, qua domi, Thebis ipsis, Epaminondas esse mortuus videtur simulari, ad eius vitam non transtulerim.

Si licet Pausaniae fidem habere, in hac peroratione etiam in universum nonnulla de magnitudine et auctoritate huius viri adiuncta erant. cf. VIII, 11, 9: *Τὸν δὲ Ἐπαμεινώνδαν τῶν παρ' Ἕλλησι στρατηγίας ἕνεκα εὐδοκιμησάντων μάλιστα ἐπαινέσαι τις ἂν ἢ ὕστερόν γε οὐδενὸς ποιήσαιτο· Λακεδαιμονίων μὲν γὰρ καὶ Ἀθηναίων τοῖς ἡγεμόσι πόλεών τε ἀξίωμα ὑπῆρχεν ἐκ παλαιοῦ καὶ οἱ στρατιῶται φρονήματός τι ἦσαν ἔχοντες, Θηβαίους δὲ Ἐπαμεινώνδας ἀθύμους τὰς γνώμας καὶ ἄλλων ἀκούειν εἰωθότας ἀπέφηνεν ⟨ἐν⟩ οὐ πολλῷ πρωτεύοντας.*

Commemorandum etiam erat[2], quantopere Lacedaemonii de illius morte gavisi essent, quo nemo maiore damno eis fuerat, et quanto honore ea de causa eius interfectorem habuissent. cf. Ages. 35, 1–2: *Ἀντικράτης Λάκων ὑποστὰς ἔπαισε δόρατι μέν, ὡς Διοσκουρίδης ἱστόρηκε, Λακεδαιμονίοι δὲ Μαχαιρίωνας ἔτι νῦν τοὺς ἀπογόνους τοῦ Ἀντικράτους καλοῦσιν ὡς μαχαίρᾳ πατάξαντος· οὕτω γὰρ ἐθαύμασαν καὶ ὑπερηγάπησαν αὐτὸν φόβῳ τοῦ Ἐπαμεινώνδου ζῶντος ὥστε τιμὰς μὲν ἐκείνῳ καὶ δωρεὰς ψηφίσασθαι, τῷ γένει δ' ἀτέλειαν, ἣν ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἔχει Καλλικράτης, εἷς τῶν Ἀντικράτους ἀπογόνων.*

[1] De hoc scripto cf. supra p. 68.
[2] cf. supra p. 21.

Fortasse ne id quidem omittebatur non paucos viros praestantiores Epaminondam exemplum sibi proposuisse ad imitandum, Timoleontem (Tim. 36, 1), Aratum (Arat. 19, 2), Philopoemenem (Philop. 3, 1), qua re denuo occasio dabatur magnas, praeclaras eius virtutes: aequitatem animi, integritatem morum, moderationem etc. praedicare.

De pace denique agendum erat, quam secundum Epaminondae consilium Thebani post pugnam cum ceteris Graeciae civitatibus fecerunt. cf. Ages. 35, 2: *Μετὰ δὲ τὴν μάχην καὶ θάνατον τοῦ Ἐπαμεινώνδου γενομένης εἰρήνης τοῖς Ἕλλησι πρὸς αὐτούς* . . . . . . et apophth. 24: *ἐκέλευε διαλύεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους, ὡς οὐκ ὄντος αὐτοῖς στρατηγοῦ. καὶ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον ἐμαρτύρησεν, ὡς εἰδότος ἄριστα τοὺς πολίτας.* cf. etiam Diodor. XV, 89, 1—2.

Num Lacedaemonios ab hoc pacto exclusos esse, quod Messenios sui iuris esse sinere noluissent, hic quoque commemoratum sit, pro certo disceptari non potest.

Postremo iterum epigramma illud afferre mihi liceat, quod auctore Pausania ad Epaminondae statuam Thebis constitutam adscriptum erat et quod, quoniam notum ei erat (cf. „ne suaviter quidem posse vivi secundum Epicurum“ c. 16 p. 1098 a), Plutarchum quoque in Epaminonda proposuisse verisimile est. cf. Paus. IX, 15, 6: *Τῷ δὲ ἀνδριάντι τοῦ Ἐπαμεινώνδου καὶ ἐλεγεῖα ἔπεστιν ἄλλα τε ἐς αὐτὸν λέγοντα καὶ ὅτι Μεσσήνης γένοιτο οἰκιστὴς καὶ τοῖς Ἕλλησιν ὑπάρξειεν ἐλευθερία δι' αὐτοῦ. καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἐλεγεῖα·*

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν,
Μεσσήνη δ' ἱερὴ τέκνα χρόνῳ δέχεται·
Θήβης δ' ὅπλοισιν Μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται,
Αὐτόνομος δ' Ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίῃ.

Quamquam fortasse alia quoque nonnulla Plutarchus protulisse potest, tamen, quoniam praeter haec nihil tradita sunt, finem ponamus et epilogo et toti vitae restituendae.

Appendix.

Ad extremum, ut omnia exsequar, quae pertinent ad Plutarchi „Epaminondam“, quaestio nobis est proponenda, quocum Romano ille popularem suum illustrem comparaverit, quam aliquoties iam viri docti attigerunt[1] atque ipse quoque supra obiter perstrinxi (p. 26). Accuratius tamen adhuc nemo hac de re inquisivit. In Lampriae catalogo qui fertur hunc fuisse Scipionem quendam traditur (7. *Ἐπαμεινώνδας καὶ Σκιπίων*), qua de re non est cur dubitemus[2]. Sed cum postea iterum Scipionis cuiusdam vita commemoretur (28. *Σκιπίων Ἀφρικανός*), cum insuper ex Plutarchi ipsius scriptis cognoscamus eum et Scipionis Maioris (vit. Pyrrh. c. 8, 2) et Minoris (Tib. Gracch. c. 21, 5; C. Gracch. c. 10, 4) vitas condidisse, a primo non est in propatulo, uter cum Epaminonda coniunctus fuerit.

Ex ipsius catalogi verbis, quo alter *Σκιπίων* alter *Σκιπίων Ἀφρικανός* appellatur, nihil colligi potest, cum Plutarchus promiscue utrique hic cognomen addit, illic omittit. Neque vero omnino ex eius scriptis firmum argumentum erui potest.

Attamen si utriusque vitam resque gestas cum Epaminondae comparamus, inter Scipionem Africanum superiorem et illum maiores similitudines intercedere facile intellegimus. Conferatis quaeso, qua ratione Plutarchus probare conatus sit, cur Pelopidam

[1] Wyttenbach, edit. Plut. Moral. vol. VI (animadvers. vol. I, 2) p. 1115/16; Muhl, Plutarch. Stud., p. 12; Wachsmuth, Einl. in d. Stud. d. alt. Gesch., p. 216; R. Hirzel, Plutarch, Lpz. 1912, p. 77, qui cogitaverunt de Scipione Africano Maiore; Wilamowitz, Comment. gramm. (Gryphiswaldiae 1897) I, p. 11, qui auctore C. Th. Michaeli, nescio quo libro usus, Scipionem Minorem appellat. Michaelis ipse in dissertationis „de ordine vitarum parallelarum Plutarchi“ conditae p. 33 rem omnino non disceptari posse iudicat. — Hirzelii librum, qui nuperrime editus sit, praeter hanc extremam partem, non nisi in adnotationibus respicere potui.

[2] Exempla, quae Michaelis l. c., affert, ut catalogum fide non dignum esse comprobet, nihil valent.

ipso cum Marcello copulavisset (Pelop. 2, 5): .... *καὶ γὰρ χειρὶ χρῆσθαι μαχιμώτατοι γενόμενοι, καὶ στρατηγίαις ἐπιφανεστάταις κοσμήσαντες ἀμφότεροι τὰς πατρίδας, ἔτι δὲ τῶν βαρυτάτων ἀνταγωνιστῶν ὁ μὲν Ἀννίβαν ἀήττητον ὄντα πρῶτος, ὥς λέγεται, τρεψάμενος, ὁ δὲ γῆς καὶ θαλάττης ἄρχοντας Λακεδαιμονίους ἐκ παρατάξεως*[1] *νικήσας* .... (cetera minus huc spectant), quibus verbis eo illos congruere dicitur, quod gravissimos patriae hostes, qui invicti fere visi essent, primum clade affecerint. Epaminondas autem et Scipio Africanus Maior componi poterant, quod eosdem hostes devicissent eorumque opes in perpetuum debilitavissent, alter Lacedaemonios, alter Hannibalem. Eam quoque ob causam aliquam comparationem habent, quod invidia civium inimicorum crimine ficto in iudicium vocati simillima ratione se gesserunt. Neque enim vere causam dicere eos voluisse sed meritorum suorum iudices populumque admonuisse traditum est[2]. Plutarchum hanc similitudinem non effugisse concludendum est ex scripti „de se ips. citr. invid. laud." c. 4 p. 540d — 541a.

Sed cum hic causae illae publicae tantummodo eodem orationis contextu commemorentur, apud Appianum in Syr. lib. c. 40—41, quo de loco supra (p. 25sq.) accuratius agitavi, vere inter se comparantur. Itaque non mirum est, quod viris doctis in mentem venit eum hic a Plutarcho pendere[3], quae coniectura si comprobari possit, illum Epaminondam et Scipionem Africanum Maiorem uno volumine coniunxisse pro certo liceat habere.

Atque scimus Appianum, quamquam ad res gestas describendas Plutarcho auctore non usus est, tamen eius vitas diligenter evolvisse et non modo eius dicendi genus quodammodo in exemplum assumpsisse[4], sed imprimis eius comparationes illustrium virorum imitatum esse[5]. Itaque etiam ad Epaminondam et Scipionem conferendos a Plutarcho eum adductum esse verisimile est. Accedit quod discrepantiae, quae a primo hanc coniecturam tollere videntur, non multum valent, quoniam, ut supra demonstravi (p. 26sq.), ab

[1] De proelio Tegyreo hic agitur, ut supra demonstravi; cf. p. 55 adn. 1.

[2] cf. de Epaminondae causa publica, quae supra exposui (p. 105), de Scipionis Africani Liv. XXXVIII, 50, 4sq., Polyb. XXXII, 14 etc.; cf. Mommsen, Roem. Forsch., II p. 417: Die Scipionenprozesse.

[3] Wyttenbach in edit. Plutarch. Moral. vol. I, 1, praefat. p. XL; B. Niese, Herm. 39, 1904, p. 87 adn. 2; R. Hirzel, Plutarch, p. 77.

[4] Goetzeler, Quaest. in Appian. et Polyb. dicendi genus, p. 37sq.

[5] Wyttenbach l. c.; R. Hirzel l. c.

Appiano ipso sive errore lapso sive eo consilio, ut legentibus de Epaminondae aetate non satis doctis melius rem illustraret, effectae esse possunt. At contra haud levis similitudo, ut item supra (p. 27) iam monui, intercedit inter Appiani verba: *οἱ μὲν ἕτεροι διέφυγον οἴκτῳ τε χρώμενοι καὶ λόγοις πλείοσι* ... et Plutarchi („de se ips. citr. invid. laud." c. 4 p. 540d): *Πελοπίδαν μὲν ὑποπίπτοντα δεόμενον μόλις ἀπέλυσαν*, et, quod supra (p. 96sq.) demonstrare studui, Plutarchum ab Epaminonda prima expeditione Peloponnesiaca et Mantineam restitutam et Megalopolim conditam finxisse, confirmatur his Appiani verbis: *τὰ Λακεδαιμονίων φρούρια καθεῖλον καὶ ἐπέστησαν ἕτερα τῶν Ἀρκάδων.* (cf. supra p. 97 adnot. 1.)

Quibus consideratis cum vix dubium sit, quin Appianus hoc loco Plutarchum secutus sit, certum fere id quoque licet putare Epaminondam cum Scipione Africano Maiore uno libro coniunctum esse.

A. Index nominum.

B. Index auctorum.

C. Index Plutarchi scriptorum.

I. Vitae

earum forma 16—17, 48—50.

II. Moralia.

Vita.

Udo Augustus Ludovicus Peper Ballenstediensis natus sum Osterburgi in oppidulo Palaeomarchiae a. d. IV. Id. Iul. anni MDCCCLXXXIX, patre Carolo professore grammatico, matre Minna e gente Schmeichel. Litterarum elementis imbutus, postquam per septem annos progymnasii Ballenstediensis a Wolterstorffiis fratribus conditi et per tres annos gymnasii Sangerhusani disciplina usus sum, vere anni MCMVIII maturitatis testimonium adeptus Ienam me contuli, ubi, ut studiis philologicis historicisque operam navarem, per quatuor fere annos commoratus sum, praeter aestatem anni MCMIX, qua isdem studiis in universitate Marburgensi incubui.

Docuerunt me viri doctissimi Ienenses: Cartellieri, Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Iudeich, Leitzmann, Meyer-Steineg, Pick, Schrader, Stoy, Weinel, Wilhelm; Marburgenses: Birt, Brackmann, Diemar †, Klebs, Maass, Thiele. Ad exercitationes sive historicas sive archaeologicas sive palaeographicas me admiserunt quasi tironem Keutgen, Diemar †, Graef, deinde Iudeich et Cartellieri. Denique postquam nonnulla semestria et Marburgi et Ienae proseminarii philologici sodalis fui, eximia benignitate Rudolfi Hirzel et Georgii Goetz in sodalium ordinariorum numerum seminarii philologici ascitus sum, cuius in exercitationibus duo semestria, alterum subsenior, versatus sum.

Quibus viris doctis gratias habeo et ago cum omnibus tum Georgio Goetz et Waltero Iudeich, quippe qui studiorum meorum praecipue fuerint adiutores et fautores, maximas tamen Rudolfo Hirzel, cuius auspiciis haec dissertatio orta est.